



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Acta D. Dagoberti Francorvm Regis Et Martyris, Et In Ea  
Notationes P. Alexandri Wilthemii Soc. Iesv Presbyteri**

**Wiltheim, Alexandre**

**Avgvstae Trevirorvm, 1653**

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10143**



Th. 3186.

J. XVI. 2.







UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN



Ex legatis Clericis Principis Ferdinandi Episcopi  
Paderb. et Monaster. Anno 1663.



ACTA  
D. DAGOBERTI  
FRANCORVM REGIS  
ET MARTYRIS,  
ET IN EA  
NOTATIONES  
P. ALEXANDRI WILTHEMII  
SOC. IESV PRESBYTERI.



AUGVSTÆ TREVIRORVM,  
Excudebat Hubertus Reulandt, Archiep. Typogr.  
Anno MDCLIII.

*Collegij Socij Igni Paderb.*

**V**T h̄ic liber complectens Notationes in Acta D.  
Dagoberti, hic Treviris prælo mandetur in utili-  
tatem communem : facultatem in Domino conce-  
dimus. Treuiris 14. Feb. 1653.

*Frater Ottho Episcopus Azot: in Pontificalibus & Spirituali-  
bus Vicarius Generalis Trevirensis & librorum Cen-  
sor Ordinarius deputatus.*



ACTA  
D. DAGOBERTI  
REGIS ET MARTYRIS  
NVNC PRIMVM IN LVCEM EDITA,  
CVRA ET OPERA  
ADMODVM REVERENDI ET EXIMII D.  
AC MAGISTRI NOSTRI,  
D. IOANNIS FLONCEL  
SS. THEOLOGIÆ DOCTORIS, NOTARII  
APOSTOLICI IN ARCHIVIO ROMANO  
DESCRIPTA, PASTORIS SATHANACENSIS.  
ET  
ORNATISSIMI SPECTABILISQVE  
VIRI  
D. IVLIANI FLONCEL,  
RERVM D. DAGOBERTI QVÆSTORIS  
FRATRV.

ACTA  
SANCTI PETRI  
AD VITAM ET MORTALITATEM  
SANCTI PETRI  
PRAESES APOSTOLICUS  
IN ROMA  
Dicitur  
SACRAE SCRIPTURA  
OMNIS SANCTUS PETRUS  
VITA  
SANCTI PETRI  
HISTORIA  
PER RUM D. DECOPERTI GASTORIS  
ESTATVM



ADMODVM REVERENDO ET EXIMIO  
DOMINO AC MAGISTRO NOSTRO,

D. IOANNI FLONCEL  
SS. THEOLOGIÆ DOCTORI, NOTA-  
RIO APOSTOLICO IN ARCHIVIO ROMA-  
NO DESCRIPTO, ET PASTORI SATHANACENSL.

ET  
ORNATISSIMO SPECTABILIQVE  
VIRO

D. IVLIANO FLONCEL,  
RERVM D. DAGOBERTI QVÆSTORI,  
LECTISSIMIS FRATRIBVS,  
ALEXANDER WILTHEMIUS S. I.  
S. P. D.

A 2 CTA D. Dagoberti Regis Francorum &  
Martyris cui dedicarem, multa me te-  
nuit, lectissimi fratres, longaq; delibe-  
tio, non quod magni meriti lucubra-  
tiunculam hanc nostram esse censerem,  
sed quod in dedicando existimarem custodiendum  
mihi

mihi esse in primis officium rationemque muneric  
mei. Et illud quidem in hâc cogitatione planum atque  
expeditum esse cernebam, vos, qui ad hæc publico  
danda præcipuam curam studiumque impendistis,  
ceteris omnino omnibus anteferendos: non item il-  
lud, quem vestrûm alteri ego anteferrem? Tu enim,  
vir eximie, acta hæc magnopere sanè tibi vindica-  
bas, quæ vt à nobis illustranda susciperentur, auctor  
fuisti, vt discuterentur inuestigator, vt explanarentur  
adiutor, vt cederentur, studiosissimus prouisor atque  
curator. At tu, vir ornatissime, qui sumptum editioni  
faceres, arrogabas tibi quoque haud sanè leuiter hu-  
ius nostri opusculi titulum, cumque velut comparato-  
tuum feceras. Accedebat, quod eximius frater tuus,  
quâ est animi temperantiâ atque moderatione, vehe-  
mentissime nollet illud idem opusculum suo nomini  
inscribi, nec vlo modo, pateretur sibi attribui id,  
quod emptu quodammodo tuum esse contendebat.  
**Quid quod & ipse D. Dagobertus te præcipue, cui**  
acta sua dicari vellet, designasse vîlus est? Postquam c-  
nîn munificentia tua editionem hanc curandam  
suscepit, D. Dagobertus fœnus tibi continuò reddi-  
dit, quæsturam rerum suarum, & seipsum tradidit, vt  
ita dicam, in familiam ditionemque tuam. Quod cum  
ego animaduerterem, in aliamne partem discederem,

nec



## DEDICATORIA.

5

nec sequerer ducem tam manifestum, qui cùm res suas administrandas tibi demandauerat, acta sua quoque cum ceteris suis rebus tuæ fidei tuoque patrocinio deferenda esse, non obscurè demonstrauerat? Verum parum ista apud me omnia valuerunt, vt alteri seorsum potius, quam iunctim ytrique dicarem opusculum, in quod communibus studijs connixi, iuxta conatum, operam, atque industriam contuleratis. Fratrum deinde dulce vocabulum, & in quo natura implexuit tenacissimum amoris vinculum, peruersè equidem ego æstimasse visus fuisset, si partitionem, aut verò etiā dissidium hīc facere, atque alteri vestrū præ altero dedicationem hanc inscribere attentassem. Quid multa? Si frater idcirco dictus est, quod sit ferè alter, diuidere rem tam coniunctam, præsertim in vnâ causâ, nequaquam ego debui. Accipite ergo paribus animis acta D. Dagoberti, cui honorando coniunctis studijs, pari curâ atque contentione incubuistis; quemque Diuum à pueris vnâ religione prosequi didicistis, cum ex æquo ad ultimum usque retinete. Vester est D. Dagobertus fauore, vester obsequio, vester cultu, vester merito. Neque enim persuadere mihi possum, neglecturum sanctum illum atque beatum modo in cælis regem, diligentiam in se colendo venerandoque vestram. Nam quis non

A 3

faci-



6 EPISTOLA DEDICATORIA,  
facilè intelligit, præterquam quod magnæ sempiter-  
næque laudi vobis futurum est, quod præsidio & au-  
xilio vestro, non modo acta incliti & optimi regis,  
sed & ipse adeò ex tenebris in lucem, ex obliuione in  
memoriam hominum reuocatus sit: daturum etiam  
eundem ipsum regem operam, ut beatæ quondam  
vitæ & æterni regni vnâ secum partem obtineatis, at-  
que istic operæ vestræ fructum premiumque reporte-  
tis. Quod ut quam cumulatissimè fiat, summis ani-  
mis votisque contendimus. Valete. Luxemburgi  
VIII. Idus Ianuarias, anno Domini M DCLIII.

VITA

VITA SANCTISSIMI  
MARTYRIS CHRISTI  
DAGOBERTI  
INCLYTI AC GLORIOSISSIMI  
REGIS FRANCORVM.  
PROLOGUS.



Vnctorum Rex Régum Dominus Dominan-  
tium, immensæ pietatis clementiâ affluens, ad  
miseros humani generis filios dignatus est de-  
scendere, & ab hâc conualle lacrymarum o-  
mnes, quos suos fide & opere futuros esse  
cognouit, ad cælestia regna perducere, gratuitâ  
dignatione semper consuevit. Illò quippe totis gestiens  
nisibus pertingere, quò certissimum est, sanctos milites suo  
regi ouantes, \* obedientiæ bonum formido deserere, quæ  
virtutibus comes assolet esse. † Fraternitas itaque Satana-  
gensis flagitans rogitat, ut arduum valdèque sanctum aggre-  
diar opus, de gloriösi regis Dagoberti actibus. Ego ingenio  
pauperculus, sed recolens illud Dauidicum, imò Domini,  
vereor audire eloquium: *Quare tu enarras iusticias meas,* & *assumis testamentum meum per os tuum?* Tu verò odisti discipli-  
nam & proiecisti sermones meos retrorsum. Super hoc autem  
meam animat inertiam Propheta inquiens: *aperi os tuum,* & *ego adimplebo illud.* † Hanc itaque obedientiam, quam mo-

Ex duobus  
codicibus,  
vno Au-  
reæ Val-  
lis, altero  
Satanacem-  
si.

\* Deest alii  
quid.

†

Psal. 49:1

Psal. 84:1

pro-  
t

prosequi oportet, omnipotenti Deo placere credo, quia, ut  
 sanctus ait Benedictus: *obedientia, quæ maioribus præbetur,*  
*Deo exhibetur.* Eundem autem Spiritum Sanctum, quo præ-  
 fatus abbas probatur fuisse afflatus, totâ mentis deuotione  
 imploro, quatenus meam flocci pendens fragilitatem, o-  
 mnemque delens iniquitatem, suæ per omnia clementiæ me-  
 mor, largiri dignetur facundiam locuturo vel aliqua de suo  
 martyre sanctissimo Dagoberto. Cuius quippe regios ac  
 magnificos actus nequit penna exarare scabrosa † ex asse,  
 quia nequaquam alicubi scripti noscuntur,\* & † à memo-  
 riâ hominum modo viventium penitus recesserunt. Exigua  
 tantummodò, quæ à veracibus audiui testibus, conabor lit-  
 teris comprehendere, vt vnica \* habeat fraternitas beato  
 famulans martyri, parum quid † ad legendum in eius die  
 solenni. Licet namque sacro sancti militis Christi facta ho-  
 mines lateant, tamen eidem superno iudici omnia patent.  
 Itaque omnes ista lecturos humili prece moneo, quò fidem  
 dictis adhibeant, non me alia scribere sciant, nisi quæ vera-  
 cium expertus sum testimonio. In hoc siquidem opusculo  
 nemo legentium expiscetur rusticæ nomen † dictatoris, quo-  
 niam, ut est ingenio artis Grammaticæ parvus, † maluit sur-  
 dam omittere absque autoris vocabulo mutam, quam in ho-  
 minum iactando venire notitiam. Nulla prorsus inde mihi  
 exstat confusio si quid vituperationis inuenerit æmulus in o-  
 pere isto, si tamen, quæ à veris didici, veraciter dixero. Perdit  
 namque mundo, salus æterna prædicata noscitur per stultos  
 & idiotas seculi instantis, quoniam sic collibuit Christo, qui  
 sapientia est Dei Patris; quâ inspirati ac debriati omnes san-  
 ctæ Apostoli, non solum insipientes, sed & philosophos ad fi-  
 dem Dominicam suorum retibus sermonum \* adtraxerunt.  
 \* Al. *sacra-*  
*mentorum.* Vnde parui pendens barbarismos cum solœcismis, studebo,  
 quæ



quæ didici, mandare litteris, quamuis impolitis, & \* eum de- \* Addit  
tegere dictis, qui gloriatur in cælis cum om̄ibus perenniter alius co-  
sanctis. Oret pro meis \* facinoribus intenta obsecratione dex, cum  
Satanagensis fraternitas ipsum, de quo loqui cupio, egregium diligentia  
Christi martyrem Dagobertum, quò apud cælestem regem  
mihi \* delictorum obtineat veniam, det dictandi fiduciam, \* Al. addit  
præbeat ori meo verbi lucernam, effuget caliginem inertiae inde  
ex animâ, ipseque exarantem ita regat pennam, ut absque o-  
mni mendâ \* valeam promere veracia verba.

\* Al. noſtris  
diligentia  
\* Al. men-  
dacio.

## INCIPIVNT PAVCA DE ACTIBVS S. DAGOBERTI \* REGIS ET MARTYRIS.

\* Al. addit  
Francorum

**I**nclytus igitur rex gloriosus Christi martyr Dagobertus, ex robustissimâ Francorum gente exstitit oriundus, tempore quo Francigena sceptra regebat eximus regum † Theodericus, auus ipsius, filius excelsi Clodouei regis, ne- non & Balthildæ coniugis eius, diebus quoque germanorum suorum Lotharij & Hilderici, \* eximum iubar Ecclesiæ re- † Chlotarij  
torque strenuissimus. Pater denique ipsius Hildebertus \* est & Childe-  
vocatus † vir bonus atque potens, generosâ stirpe creatus. \* Childe-  
† Morte itaque præuentus regis Theoderici, † Pipinus bertus.  
princeps, omnisque exercitus Francorum, Hildebertum \* ele- \* Childe-  
git in regem. † Acceptâ denique monarchiâ totius regni, bertum.  
filium suum † Dagobertum commendavit nutritum iri re- †  
ginæ religiosissimæ Balthildæ † aux suæ, quæ in † Calâ mo- † †  
nasterio ancillabatur Domino, induta velamine sacro. At illa †  
feruens desiderio sancto, tradidit illū sacris litteris \* diuinis- †  
que imbuendum; quibus edoctus, disciplinam Domini mox \* diuinâ-  
in ipsis puerilibus apprehendit annis. Hic denique, cum an- que scien-  
tia

B

nos



nostrantranscenderet pueritiae, & in robur migraret virile, demonstrauit verbo & opere, quād aptus dignusque fuit regali dignitate. Fuit etenim corpore formosus, mente Christo deuotus, staturā mediocris, quæ \* honestam \* excederet formam; oculis vigilantibus, facie candidā, manibus prolixis, omnique corporis formā decorus pariter ac iocundus. Præfata enim beatissima ac verè Deo dignissima Balthildis regina, sui nepotis magnopere gerens curam, eumque ad meliora prouehere cupiens, frequenter eum ad se accersitum diuinis dogmatizabat eloquijs; Instruebat enim eum ut proprium, sicut erat, filium, quo humilitati, castitati, caritati misericordiæque studeret. Humilitate quippe ascendit homo in cælum, quia per superbiam ab illo diabolus cecidit. Caritate etiam Deus & creator omnium de cælis descendit, & passione suâ nos de morte æternâ redemit. Dicit quoque pius Redemptor omnium: *beatis misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.* Castitate præditi comparantur angelis. His & alijs huiusmodi exhortationibus sacratissima Balthildis regina docebat nepotem suum tyrunculum Christi Dagobertum, cupiens illum simile ad Dei omnipotentis obsequium, cuius etiam admonitionibus dulcissimæ † ephibus indolis confortatus, proficiebat quotidie in animæ corporisque virtutibus; quia omni intentione regi cælesti famulari volebat promentis viribus.

<sup>¶ Childebertus.</sup> Hildebertus \* ergò pater ipsius, regum fortissimus, † per sex decim annorum curricula, ut legitur in gestis illius, regno Francorum nobiliter ac fortiter gubernato, † innumeris pollens triumphis, ecclesijs Dei per multa loca constructis, moribus maturus & annis, viribus dissolutus corporis, spiritum virtutibus refertum deficis, cœribus reddidit angelicis. Tali igitur protectore & gubernatore, ac famosissimo rege viduagens † Sicambriæ, nimio fletu planixerunt cum diebus mul-



multis, & regem regum Christum deprecabantur precibus prolixis ac lachrymosis, quatenus dignaretur concedere illis defensorem regiae dignitatis. Hæc verò corde & animo reuelentibus, & in Dei clementiā omnem spem ponentibus, recordati sunt generositatis Dagoberti, quod esset generosus clarissimus, omni bonitate mentis strenuus, corporis virtute robustus, consiliis prouidus, nulli pietate secundus, moribus modestus, Deo etiam & sanctis eius carissimus. Vnde initio inuicem consilio, cuncti in illius consenserunt dominio. Congregati igitur episcopi, satrapæ, duces, comitesque cuncti etiam Francorum proceres, ciuitatem Remensium, vbi sanctus confessor ac pontifex corpore quiescit Remigius, accessitum simul Dagobertum ita ynnimi voce affati sunt. † Vir illustrissime & omnium nostrum nobilissime, tu nobiscum sis optimè quo caruimus nuper ariete, qui contra nostri imperij hostes agonizabat validissimè; sed superno rege agente, ut pater noster perdidit lucem praesentis vitæ, traditus probatur cælesti \* gloriæ. Ille quidem triumphat cum sanctis angelis, verum nos sumus hodiè in anxietatibus magnis. Ob hoc etenim tuam flexis poplitibus totâ mente depositimus pietatem, ut nostris compatiens doloribus, super te suscipias regiae dignitatis onus, quia es genere clarus, potens viribus, staturâ procerus, vultu pulcherrimus. Suscipe ergo nostris precibus regale in capite tuo diadema, & habe nos firmissimos in fidelitate tuâ. Nobilitatem enim tuam nostræ societati firmiter nexam, pauebunt omnes nostri passim aduersarij cum Dei gratiâ. His verò auditis atque diligenter intentis, respondisse fertur Dagobertus vir illustris: fratres & commilitones mei, nolite ista mihi superflua verba loqui; quoniam, nec meæ congruunt ætati, nec virtuti, quæ haec tenus estis prosecuti. Gratias quidem vestræ refero fortunæ inuincibili, at me nullo modo cognosco dignum honore regali. Inquirite siquidem in

B 2

vobis,

†

\* Alius  
addit cu-  
ria ac



vobis, qui aptus existat hoc honore, & in regem eleuare, & ego vobis cum ei fidelitatem curabo promittere, sitque magnus post cæli regem princeps militiæ nostræ. Ad hæc omnes responderunt: \* Non, quæsumus, nos diutius tuis sermonibus fatiges, neque de nostrâ fidelitate & electione dubites, sed quod vnanimiter voluimus agere, ne recuses. Nostræ enim voluntati credimus diuinam assentiri pietatem. Tunc autem sua flexâ cogitatione, assensit \* † suorum maiorum ac populorum \* electioni; impositoque ei regali diademe cum episcopali benedictione, sublimatus \* est in tribunal totius imperii Francorum.

\* Al. ref-  
ponderunt  
omnes re-  
gni prin-  
cipes.

\* Al. addit  
humiliter

\* plurimo-  
rum,

<sup>†</sup>  
\* subleus-  
tus

Igitur omnium optione principum adeptus monarchiam totius regni virorum clarissimus Dagobertus, cunctis per regnum claruit benevolus, inimicis regni terribilis & sauvus, Christi sacerdotibus mitis ac benignus. Similis tunc videbatur martyri Sebastiano, qui sub chlamyde terreni imperij confortabat eos, quos in tribulationibus & tormentis deficeret videbat. Erat enim beatissimus Dagobertus in sermone verax, in iudicio iustus, in uniuersâ morum honestate praclarus, & merentium consolator præcipuus, & cum beato Iob oculus fuit cœco, & pes claudio; pater erat pauperum, & causam, quam nesciebat, diligenter investigabat; conterebat molas iniqui, & de dentibus auferebat prædam. Instantia namque domino regi Dagoberto magna erat de sui regni firmâ pace, de peruaforibus refrenandis, de ecclesiis lapsis restituendis, de monasterijs negligenter obrutis rursum construendis, nolens deperire suo tempore diuini operis cultum, sed in dies augmentare per suæ exhortationis studium, quia sciebat exinde sibi Dei omnipotentis affuturum ubique auxilium. Reddebat siquidem parentibus sibi militantibus stipendia carnis, reddebat superno regi famulantibus monita salutis; hos equidem leniter demulcebat, ne segnes forent

erga

Iob 20.

Id. 29.

erga omnium creatoris officia : illos vehementer arguebat, ne essent imbellis contrà inimicorum machinamenta. Omni enim ordini prodesse volebat, metuens cum totâ mentis devotione, qui se ceteris præficerat. Et quia pro mundi curâ nolebat regis omnium offendere præcepta, ideo meruit obtinere pacem magnam, quantam nemo suorum antecessorum quiuit videre vñquam. Omnipotens enim Deus, qui antiquis diebus Salomonis tempore pacem de inimicis omnibus tribuit Iudæorum genti, ipse largiri dignatus est regis Dagoberti tempestate Francorum nuper in Christo renata genti + indicibilem quietis pacem. Christus namque est pax nostra, qui fecit utraque vnum, qui loquitur in Salomonis proverbij: per me reges regnant, & principes legum iusta decernunt. Non enim statuit rex Dagobertus, prædictam in regno suo pacem, sed ille, qui fatus suis in euangelio: sine me, nihil potest facere. Igitur Dei præueniente & auxiliante virtute, atque Dagoberto rege pugnante viribus & armis instantiâ, firmissimâ gauisi sunt Francigenæ prolixâque pace. Erat nempe gens sancta, populus acquisitionis, qui eos de tenebris infidelitatis vocauit in admirabile lumen suum, qui aliquando non populus, nunc autem populus Dei, qui non consecuti misericordiam, nunc autem misericordiam consecuti. Afflenti itaque & multiplici gaudentes Francorum populi quiete in Dagoberti regis tempore, omnes pro libitu suo agebant in suo ordine ouantes. \* Sacerdotum quippe ordo tempore congruo psallebat hymnos omnipotenti Deo; militans seruiebat regi suo multiplici obsequio; agricolarum etiam ordo colebat terras suas cum omni gaudio, & benedicens ei, qui posuit fines suos pacem, & adipe frumenti satiabat eos. Iuuentus quoque nobilium, iuxta antiquorum mores, + canum auiumque exultabat lusibus, certis vtrique temporibus, nec ramen cessabat à diuinis actibus, tribuendo eleemosynas pau- <sup>\* Sacerdotalis.</sup> <sup>Psal. 147.</sup> peri.

peribus, subueniendo in tribulationibus positis, viduis & orphanis auxiliando, nudos vestiendo, hospites & sine tecto vagantes suscipiendo, infirmos visitando, mortuosque sepeliendo. Talia etenim agentibus, non obesse prorsus venerationis creditur usus.

Operæ pretium autumo miraculum inserere huic opusculo, quod Omnipotens operatus est ob meritum gloriose regis Dagoberti in hoc mundo. Postquam igitur diuinâ ope-

<sup>\* Al. LAK-</sup> Remensium, nomine <sup>†</sup> Landone,<sup>\*</sup> ceterisque episcopis, ipso

<sup>donee</sup> deprecante archiepiscopo pergebat versus ciuitatem Remorum.

Quòd dum iter carperet, obviauerunt ei pagenses territorij illius, precantes suppliciter, ut manu propriâ dignaretur iactare semina. Illorum quippe deprecationibus annuens rex clementissimus, accepit sementem tritici in manibus, & sparsit illud per circummanentium <sup>†</sup> redditus; quod semen ita rigauit Dominus regis Dagoberti precibus, ut insolito more matureretur citius, quam aliud triticum, quod seminatum est in illis regionibus. Illo denique anno tantam frugum abundantiam tribuit omnipotens Dominus illis hominibus, ut nullus ambigeret, quòd pro meritis Dagoberti hanc incolis terræ illius concessisset.

<sup>\* Al. ma-</sup> Post hæc Parisius ouans repedauit. In eâ siquidem vrbo reges Francorum maxima <sup>\*</sup> sceptra tractare consueuerunt. Deinde oratum ad sanctum perrexit Dionysium, vbi ceu regem decebat, honorifice est susceptus. Cumque ventum esset ad celebrationem missæ in festiuitate assumptionis perpetuæ Virginis Mariæ, dæmoniacus quidam, qui multo iam tempore sensu perditio, in beati Dionysij morabatur monasterio, patrocinante eodem martyre egregio, <sup>†</sup> eiusque complicibus, sensum amissum adstante rege Dagoberto recepit insa-

nus.



nus. Credimus verissimè hoc actum diuinitus, ut cor principis Dagoberti excitaretur in amore vel timore Christi. Consilio itaque inito cum principe Pipino, alijsque suis consiliarijs, dedit quandam † villam in pago Cameracensi, nuncupatam Bragnam, prædicto sancto, quam hodièque retinent in illius persistentes obsequio.

Longum est enarrare, quām prouidus idem rex Dagobertus in consilio fuerit, patientiæ deditus, litteris eruditus, timens Deum, † Ecclesiarum & Sacerdotum magnus dicator, pauperibus eleemosynam tribuens, benignum se omnibus & pietate plenum ostendens, quamque studiosus in componendâ pace ecclesiarum, præcipueq; quam deuotus extiterit in ditandis sanctorum cœnobijs; sed maximè ob fastidientium lectorum vitandum tedium, hoc opus amplius pretendere nolim, præsertim, cum nullis abolenda temporibus luce clariora earum rerum extent indicia.

Idem ergò glorioſissimus rex Dagobertus, † Kalendis Martij, † synodum cum omnibus Francis in ciuitate Rotomagensi adunare præcepit, in quā de utilitate ecclesiarum, orphanorum ac viduarum, considerans, tractabat cum proscribis & optimatibus suis, quid illi foret fiendum? Cumque in hac synodo rex cum pontificibus, comitibus, ac palatinis suis reſedisset, adiit illum abbas Fontanalensis monasterij, † Hugo nomine, filius Drogonis, † reclamans se de Floriaco monasterio, quod auus illius dux Pipinus ædificauit, & subiecit illud prædicto Fontanalensi cœnobio, & per præceptum regis Hildeberti firmauit. Quod † Hildericus maior domus † iniustè auferens usurpavit. Altercantibus inter se coram rege Dagoberto iam dicto Hilderico, & præfato abbe Hugo præcepit rex iudicibus circum sedentibus, ut dirimerent contentionem, quæ resonabat in auribus eorum. Cumque nolent verisimile iudicare, & hoc rex perpenderet corde, leuauit



vavit oculos ad cælum, inuocans Dominum tacitâ prece, vt  
Leuit. 19. is, qui dixit, iustè iudica proximo tuo, iustus iudex esset in hoc  
conflictu.

Cum hoctacitus in corde volueret, repente sedi-  
lia, in quibus iudices residabant collisa sessores ad terram iu-  
dice Deo corruunt. \* Contrà hos vt reos, iudices, ille venit  
spiritus, qui quondam Danielis prophetæ cor impleuerat in  
examine duorum presbyterorum, qui falso crimine sanctam  
& Deo dignam mulierem Susannam morti iudicabant tra-  
dendam. Videns hoc factum gloriosus rex præfatus, excita-  
Daniel. 13. tus est continuò in Dei laudibus, gaudens & ouans reddidit  
abbatì Hugoni eiusque monachis res, pro quibus eum adie-  
rant. Cuncti ergò magnates & mediocres, diuitesque &  
pauperes, hoc à rege patratum esse cernentes, toto corde lau-  
dauerunt Dominum, qui dedit sapientiam Dagoberto regi,  
velut Salomoni quondam regi Israëliticæ gentis, ad facien-  
dum iudicium.

Nec illud fore dignum censeo silendum, qualiter reue-  
rendissimus † pontifex Willibrordus suos ad eum legatos mi-  
sit, orans supplici precatu, quò † Fresianorum fines penetra-  
ret, & pagenses patriæ illius cum suo adiutorio † ad fidem  
Christi, à quo deuiauerant, potuisset conuertere. Nec mora,  
deliberauit iter arripere, & venit in pago Lomacensi, & man-  
sit † in villâ, quæ dicitur Beuerna, quæ antiquitus data fuerat  
† sancto Gereoni martyri Christi, qui humatus corpore  
quiescit in ciuitate Agrippinâ, & à persecutoribus sanctæ ec-  
clesiæ penitus fuerat abstracta. In quâ rex cum se nocte so-  
pore dedisset, apparuerunt ei per visum sancti episcopi † Cu-  
nibertus, & Seuerinus, quem sic sunt affati: clarissime regum,  
si vis, vt benevolus sit tibi Christus, annuens tuis precibus,  
restitue † principi Apostolorum Petro, ac Gereoni sanctissimo  
martyri, eiusque socijs, villam, in quâ nunc somno gra-  
tissimo quiescis. Qui expergefatus à somno, promisit Domi-  
no,

SUGG.



no, se facturum corde sincero, quod viderat in visionis nocturna silentio. Manè autem facto, in eodem regio residens cubiculo, vngues digitorum suorum, quæ super creuerant, \* incidit; similiter & capillos capitis sui abscidi fecit. Ab illo ergo <sup>\* Al. super rauerant.</sup> die, usque in hodiernum diem, cubiculum illud ita permanet ab omnibus sordibus hominum & animalium impollutum, ut nullus hominum immundorum ibi ausus sit manere, nec aliquod pecus; si in eo intrauerit, aut debilitatum, aut mortuum ejicitur. Nos ergo incuntanter credimus, Dominum hæc agere ob meritum dilecti sui regis Dagoberti, qui hoc viuens in seculo, opera exercuit, quæ regi superno placita esse cognouit.

† Post hæc fines Fresianorum cum duce Carolo penetravit, † deuectus nauigio, sicut illum est deprecatus venerabilis pontifex Willibrordus. Perueniens ergo in locum, qui dicitur † Doristextus, officiosissime à S. Willibrodo est suscepitus. Cumque ad prandium \* resedisset, audiuit multos, qui erant in carcere clausi, regis clementiam inclamantes. Misertus autem illorum clementissimus rex, misit carceratio † baculum suum, quem manu gestabat, mandans illi, ut pro signo illum reciperet, ac in ergastulo retentos relaxaret. At minister carceris procaciter respondens, dixit, se hoc minimè facturum. Beatus vero † Bonifatius, † regis archicapellanus, qui legatione domini sui ad carcerarium functus est, confisus in Domino percussit baculo regis ostia carceris, quæ statim corruerunt; & catenæ confractæ sunt, quibus ligati erant, qui intus tenebantur. Certissimum ergo credendum est, quia tunc virtus angelica affuit Bonifatio, eò quod obediuit regi Dagoberto, quæ beatum Petrum Apostolum de Herodis maligni peruersoris liberauit ergastulo. His ita peractis † perrexit Fresiam cum magno Francorum exercitu. † Ibi tam diu commemoratus est, quoique idola cuncta destrueret, populum que-

C

ad vi-

ad vitam æternam prædestinatum, ad veri Dei conuerteret cultum. † Principem itaque illorum Ratbodus in incredulitate perdurantem, † extrâ fines Fresianorum expulit in Danemarcham. † Willibrordum verò pontificem, in sede sui pontificatus decenter relocauit. Ipso denique beato deprecantे Willibrordo, † commendauit illi rex prædictum Bonifatium, † ceterosque sapientes, qui in prædicatione illi essent cooperatores. Hic siquidem Bonifatius poste à Domino annuente archipræsul in ciuitate Moguntiâ est ordinatus. † Exempto quoque domino Willibrordo humanis, præfatus Bonifatius gratiâ prædicationis Fresiam est reuersus, ibique martyrio coronatus.

Dispositis itaque rex Dagobertus prudenter, pro quibus Fresiam perrexit, nauim cum suis ingressus, ad orientales imperij sui sedes cum summâ gloriâ & exultatione † Coloniâm reuertitur. Tunc illi ad memoriam rediit visio, quæ posito in villâ Beuernâ per sanctos Seuerinum & Cunibertum ostensa est illi. Discalceatus perrexit † ad locum, qui dicitur ad Sanctos Aureos, vbi requiescit corpore sanctus Gereon cum sociis suis, ibique, sicut spoponderat, villam prædictam, Beuernam videlicet, præfato reddidit Geroni Sancto: retinuit autem villulam quandam ex eâ, nuncupatam † Adebre-ciam, deprecante quodam † venatore suo Thassilo, qui eam cupiebat habere in beneficio. Completâque oratione, cum vellet extrâ fores ecclesiæ procedere, diuino nutu pes illius, quem intrâ ecclesiam habebat, paumento adhæsit, sicque virtute diuinâ meritisque sancti Geronis stetit immobilis. Stupefactus itaque super hoc miraculo, recognouit, non benè se egisse de voto, quod promiserat Domino. Cumque staret solo fixus, eleuatis sursum oculis, cœpit Dominum inuocare, dicens lachrymis obortis: Deus, cuius misericordiæ non est numerus, cuique obediunt cunctæ creaturæ, qui erigis allisos

&amp;



& soluis compeditos, qui etiā bases ac plantas claudi ab vtero <sup>Psal. 145.</sup>  
matris verbo Apostoli tui Petri consolidasti, mei pedis plan-<sup>Act. 3.</sup>  
tam à solo huius ecclesiae disiunge, & ego quantocius votum  
studebò adimplere, quod inimico suadente visus sum ex parte  
fraudare. Quo dīcto, illicè absolutus, Sancto Geroni tradi-  
dit, quod promissum fuerat. Quid nos miseri, quid nos men-  
dosi dicemus, cum antè tribunal Christi venerimus, qui fi-  
dem, quam verbis Domino spopondimus, mentiti sumus in  
facto? Si rex glriosus Deoque dignus, tantam perpessus est  
iniuriam pro culpâ, quam contraxit licet nescius, nos quid  
merebimur pro sceleribus, quæ cotidie scienter committi-  
mus? Deprecemur dominum toto cordis affectu, ut sicut ser-  
uum suum regem Dagobertum solo paumenti nexum absolu-  
uit, ita nos eius precibus continuis soluat nexibus cunctis.  
His ita peractis, rex saepfatus Dagobertus profiscens † Va-  
poracensem pagum cum regali ambitione, cupiebat cum Dei  
auxilio aliqua capere ferarum genera † per illius pagi deserta.  
In istiusmodi ac simili opere præscius futurorum Deus, vena-  
tus est sanctissimum martyrem Eustachium. Verùm iste ad-  
huc infidelis, incredulus, licet bonis esset deditus actibus: Da-  
gobertus verò rex non tantum fidelis & credens in Deum,  
sed & dignus existens operibus, meruit per martyrij palmam  
sublimari in regnis cælestibus. Quod qualiter acciderit, se-  
quens sermo patebit.

Præfatus rex eadem causâ veniens † in locum, qui voca-  
tur Scorcias, iuxta quandam fontem, cœpit nimium fatigari  
& anxiari, non valens agere, quod desiderabat. Suis verò  
† militibus præcepit iam inuentum subsequi ceruum, quo us-  
que, si bestiarum creator id permitteret, caperent. Rex quo-  
que in præfato loco corpus lassabundum parumper quieti  
concessit, ac dormiens † magnam in somnis visionem per-  
spexit. Remanserat cum rege † filiolus eius adolescens, ser-

<sup>\* Al. anhe-</sup> uans cum eo equum illius, cui vix anhelabundus \* ait rex : O  
mi filiole, lassus sum opiparè ! vidi sanè somnium hòrible,  
etiam mirabile, quod me valdè terret & affigit. Videbam  
planè quasi per amœna pergerem prata, sed lutoſa, & ad quan-  
dam veniebam aquam, super quam erat ferreus pons, ac nimis  
lucens, per quem tremebundus transiens, veni in quoddam  
ædificium satis pulcherrimum, ubi etiam intrans, repperi the-  
ſaurum ingentem, & multa vasa diuersi generis, aurea & ar-  
gentea; & ineffabilis ibi erat pulchritudo. His itaque visis,  
reuersus sum per illum ferreum pontem & lucentem. Audi-  
tis verò adolescens sermonibus referentis hæc regis, ait : Et  
ego, domine rex, te in sopore quiescente, vidi mirabilem rem,  
quam non audeo referre, nisi iubeat tua clementia. Ad hæc  
rex dixit adolescenti : Nihil abscondas eorum, quæ vidisti,  
sed narra cum fiduciâ mihi tuo patrino. Cum obdormisses,  
<sup>†</sup> ait, domine, vidi ex tuo ore prodire vnum † papilionem, qui  
progrediens, venit ad istum, quem cernis antè tē, riuulum,  
quemque transire cupiens, hac illacque vagabundus ibat.  
Cognoscens autem illum velle transire, extraxi gladium à va-  
ginâ, & posui super riuuli ripas. Viso quoque papilio ponte,  
<sup>\* Al. addit  
veniens.</sup> \* per illum transiuit, ac in proximam intravit quercum, quam  
diutius intrà extraque perlustrans, reuersus per gladium,  
trāsiuit, in tuumque, domine, introiuit os, statimque exerce-  
factus, pie † senior, retulisti mihi, quod videras, somnium.  
Credo domine, quod in papilione mihi ostendo spiritum tuum  
intelligere debeam, cui patefactum est, quod vidisti somnian-  
do. Multum enim similia sunt. Rex autem animaduertens  
suam spiritualem visionem, ac filiolī carnalem, intellexit utrā-  
que significari vnam rē. Cumque idē rex se diceret de somnij  
visione multū anxiū, ac fatigatū, suggestit ei adolescens, ut de-  
nuō se inclinans modicum quiesceret, donec sui venatores re-  
mcarent. Fecit sic; & illico obdormiuit. Infelix verò eius  
filio-



filiolus, recolens de thesauro, quem dixerat rex se vidisse per somnium, credidit stultus fore verum, & adepturum se omae thesaurum, si dominum suum extingueret. Maligno instigante, concupiscentia indicibili inflamatus, ac diaboli veneno debriatus, correpto \* spiculo, dormientem (pro nefas) <sup>\* Al. addit miser.</sup> dominum interimere non abhorruit. Suo quidem regi ac domino vitam hanc nimis falsam & laboriosam, heu lugendus, abstulit, & ad æthera sanctam eius animam citius migrare fecit: sibi verò ipsi tartarea tormenta in punto horæ præparauit. Continuò autem queritans summo studio in queru & circà quercum thesaurum, quem vidisse à domino suo audierat, nihil reperit, sed arreptus à diabolo, qui primos homines spoliauerat omni bono, & ab illo diutissimè vexatus & tortus, vitam perdidit, ac mortem miser, quam quæsivit, in sui detrimentum inuenit, ubi nunc gemens ardet & per omnia secula ardebit.

Martyrizato planè Dagoberto rege, prouidente superno rege, mox affuere cælestes exequiæ, quarum actum est protectione, ne sanctissimum corpus corrumperetur morsu alicuius feræ. Reuersi sunt etiam cum festinatione cum lætis tubarū significationibus venatores, & reppererunt, quem reliquerant incolumem, super humum mortuum iacentem, proprio cruentatum sanguine. Tunc quoque ingenti vociferantes fletu & multis lachrymis suos foedantes vultus, omnis terra eorum mugitu repleta est & fremitu. Contremuerunt siquidem omnes habitatores terræ, audientes totius regni interiisse regē, cuius protectione validâ eatenus \* gaudebant, ac magnâ pacis securitate. Tantù enim verò sceleris auctorem non procul à sancto martyre videntes ore aperto iacere, † carnificem domini sui crediderunt esse. Spiculum quoque sanguine cernentes infectum, cognoscunt ex illo suum veraciter dominum oecisum. Intueri libet visionem domini regis & martyris Dagoberti,

C 3



berti, quid significauerit boni? Visum præterea illi fuerat, quod per amœna prata pergens lutoso, atque per pontem transiens ferreum lucentemque, intravit ædificium diuitijs omnibus plenum, omniq[ue] pulchritudine auri refertum. Ut reor, amœna prata præsentem significant mundum, quem sui

<sup>1. Ioan. 2.</sup> amatores amplectuntur ceu pulchrum. Astruit autem apostolus Ioannes, *qui diligit mundum, non est caritas Dei in eo.*

<sup>Isa. 40.</sup> Lutoso quoque videbantur eadem prata, quia populi pleni sunt delitorum molliciâ. In pratis quippe fænum colligitur.

Et Isaias affirmat inquietus: *verè fænum est populus.* Omnis enim Francorum populo, ordinante omnium iudice Deo, præerat rex Dagobertus & martyr gloriosus, qui etiam transiens per ferreum pontem lucentemque, intrabat in ædificium diuitijs omnibus plenū, quoniam ferreo & lucenti spiculo peremptus, penetrauit astra polorum cum martyrij triumpho, vbi gaudens nunc cernit ineffabilia bona, quæ nec oculus vedit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascenderunt, quæ præparauit Deus omnibus diligentibus se. Reuertamur nunc ad cœpta, leuis penna, atque prosequamur per ordinem cetera, quæ de sanctissimo martyre sunt exaratæ.

Post quam verò nimis fletibus sunt satiati domini regis ac martyris Dagoberti, qui ibi erant, fideles, tollentes sanctum corpus, & in sandapilâ ponentes, † transtulerunt illud in locum, tunc Sathan,<sup>\*</sup> nunc Satanagus, vocatum, & ibi honorificè sepelierunt in oratorio sancti Remigij episcopi reliquijs & nomine consecrato, vbi diutino tempore mansit humatus in saxe sarcophago terrâ vbique cooperto. Postmodum autem cœpit idem sarcophagus lensim terrâ dehidente apparere, & ad hominum noticiam mirabiliter peruenire, ac inter se homines de eo mussitantes, multa ambigua conferre. Eâ sanè tempestate ibi erat quidam sacerdos, quotidianis nocturnisque horis militans deuotissimè omnipotenti Deo, qui † pueros

<sup>†</sup>  
<sup>\*Al. Sa-</sup>  
<sup>then,</sup>

<sup>†</sup>



ros litteris diuinis instruebat cum ingenti studio. Quique infantili more s̄æpe ludentes circā sancti martyris sepulchrum, vno cōtigit die, illos solitò circumcursare iuxta monumentū; viditque vnum illorum per cooperculi foramen, quasi esset intus quædam nouacula, iniectâque intrò manu, arripuit non nouaculam, sed quandam chartulam, quam illicò magistro deferens, qui legit, quod in illâ erat scriptum ita, *Hic latet corpus Dagoberti regis & martyris, cuius anima in cælesti tripudians exultat curiā sanctis paratā.* Visum fuit Sacerdoti hanc schedam manifestare illius † loci iudici. Sed peior pessimus diabolo agente, qui omnibus bonis inuidet rebus, ipsum sanctū sarcophagum tursum operiri iussit humo, ne vtique posset videri & venerari à populo. Sed quid agis, pessima ac abominabilis inuidia? *Non est sapientia, non est prudentia, non est consilium contrà Dominum.* Iterum autem terrâ ruente, apparuit sarcophagus, quia sic placebat superno iudici, ut quem glorificauerat apud se in cælestibus, honoraretur à populis \* terrestribus. <sup>\* Ali. addit. in</sup> Tunc quoque sacerdos iam dictus, atque iudex nephodus, aspicientes talia fieri circā beatum locum, non ausi sunt vtrâ occultare sanctum thesaurum, verum adeuntes † domnum regem Carolum, nuntiauerunt ei omnia, quæ viderant ac nouerant de sancto martyre Christi. Audiens verò rex eiusque fideles, indicibili lætitia exhilarati sunt. Congregatis autem episcopis, rex cum multitudine procerum, venerunt ad locum, vbi humatus iacebat sanctus martyr Dagobertus, ibique profusis lachrymis, diu multumque flentes, † præcepit rex aliam præstantiorem construere † basilicam, atque in eâ honorifice sepeliri beatum martyris corpus, vbi nunc veneratur à credentibus ac præstat beneficia \* in se fidentibus seque glorificantibus.

Exiussu enim uero regis mundi & ex voluntate regis superni, \* præceperunt episcopi, per singulos annos celebrari solem-

Prov. 22.

\* Ali. addit.

in

†

\* Addit a-  
lius populis

†

†

†

†

†

†

†

†

†

†

†

†

†

†

†

†

†

†

†

†

†

†

†

†

†

†

perni, & solenniter diem martyrij domni Dagoberti regis, qui est X.  
 ex in sua re- Kalendas Ianuarij; & celebratur alacriter à circummanenti-  
 gis Caroli. bus fidelibus Christianis. Dignum ergò est eius celebrari in  
 terris solennitatem, qui ad angelorum meruit feliciter eleuari  
 sublimitatem. Æquum planè probatur, eius honorari † nata-  
 litū dignè, cuius memoria in benedictione est, & apud Deum  
Ecli. 45. & apud homines. Veneretur itaque cum summâ deuotione  
 omnis secularis potestas sanctissimum martyrem Dagobertū,  
 quem rex omnino principem statuit super populum suum, &  
 per tempora prolixa custodiuuit pacificum, ac post cum marty-  
 rī triumpho perduxit ad regna cælorum, ubi modo fruitur an-  
 gelorum consortio, apostolorum sublimatur solio, martyrum  
 confessu purpureo, confessorum tribunali candido, virginum  
 etiam castitatis brauio. Honoret illum omnis sacerdotalis  
Psal. 110. dignitas, quia illi coniunctus est in cælis, cui dicitur: *Tu es Sa-  
 cerdos in eternum secundum ordinem Melchisedech*, eique cum  
 angelis hymnizat. Oportet præterea illum prosequi dignè  
 exercentes opera agricolas, quoniam per illius interuentum  
 ac meritum optimum, proueniet eis terrarum sufficiens fru-  
 ctus. † Sordidus etiam vinitor non negligat sancto præfato to-  
 to mentis nisu honoris obsequium reddere, quem adiutorem  
 potest habere † in suo hilari labore. Omnes itaque communi  
\* Al. noce. voto \* sancti martyris celebremus festa, intenta & humili illū  
 prece poscentes, vt indesinenti obsecratione pias Creatoris  
 nostri pulset aures, vt auferat inimicorum visibilium & inuisi-  
 bilium insidias, repellat procul tempestates, famem, \* omnes  
\* Addit. hostem ac pestem, que aduersitates longè proturbet, ac in suo famulatu iugiter  
 faciat perleuantes & alacres. Nemo quoque sancti huius  
 vilipendat venerabilem solennitatem, ne qua illi accidat ad-  
 uersitas pro contemptu nefario, sicut yni contigit mulier-  
 culæ.

Erat namque, vt fertur, cā tempestate † in sancti sape  
 dicti



dicti territorio commanens quædam mulier, quæ adueniente beati martyris Dagoberti festiuitate, celebrantibus eam cunctis circummanentibus, vilipendens sanctum honorare diem, accepto colo, cupiebat in felix nere, sed minimè potuit, malitiâ propriâ obstante. Extemplo itaque diuino numine præueniente colum dexteræ manui est adhæsum, leuæ contrahuntur digiti, ita ut vngulæ manui infixæ, exigente nimio dolore, fletus in altum emitteret, cum magno clamore. Vicini perturbati eius vociferatione, concurrerunt ad eam omnes cum immani stupore, dicentes illi: Quid tibi contigit, ô nimis misera, quæ nostram quietem ac festiuitatem optimam luctuosis clamoribus inquietas? Refer nunc, quid mali tibi euenerit, quoniam tuis lachrymosis vocibus nostra silentia cōsternasti, & à proprijs domibus expulisti. Illa verò cum gravi suspirio voces eructans ex corde intimo, respondit se in terrogantibus, inquiens: Ego infelix ac nimium misera, quoniā debui, sicut vos, glorioli martyris Dagoberti celebrare festa, hoste antiquo instigante, accepto nendi instrumento, mea vollebam explere opera, non recolens Dei præcepta, & episcoporum decreta, quibus iusserunt, cum magnâ cordis deuotione sancti Dagoberti honorare solennia: statim iure debito, ut cernitis, sum percussa. Respondentes autem affines aiunt: Cur, infelix, satanas cor tuum suâ nequitâ quiuit implendo inficere, ut beati martyris nobis celebrantibus solemnitatem, tu sola ausa es pro nihilo ducere? Quare † parui pendisti episcoporum sacerdotumque nostrorum imperia, qui ex Dei auctoritate nobis præceperunt, hanc cum magnâ diligentia obseruare diem? Nonne si Deo hoc scirent displicere, præcipierent? Nunquid satanas, qui te miseram fraudulenter decepit, eripere valet de ingruenti tuâ calamitate & miseriâ mortiferâ? Nempe veraciter crede, non eris unquam exuta hactuâ pestiferâ infirmitate & indissolubili contractione, nisi

D

san-

†

sanctissimi Dagoberti martyris, quem contempsisti, meritis  
 præcipuis ac beatâ intercessione. Ideo ob Dei amorem mo-  
 nemus & hortamur, ne diutius his torquearis doloribus atque  
 cruciatibus, + acceptis lichnis alijsque muneribus, profici-  
 caris cum ingenti humilitate ad beatissimi patroni nostri + Da-  
 goberti sanctam domum, ibique prosternens te ipsam antè  
 gloriosum eius sepulchrum, veniam flens & eiulans ex toto  
 corde, pro ut necesse est, cura impetrare. Credimus ergò,  
 quia si egeris, quod tui causâ locuti sumus, mox tibi subueniet  
 sancti martyris beata virtus, ac ineffabilis clementia. Age  
 nunc, ne triceris diutius. Igitur suorum amicorum prouocata  
 mulier hortatu, ac suorum præcipue dolorum exigente cru-  
 ciatu, properauit ad ædem sancti martyris anhelo gradu, fe-  
 rens, quæ habere valuit, munuscula secum. Perueniens sanè  
 ad venerandi martyris Dagoberti sanctum oratorium, pro-  
 strata antè ostium, orauit ibi diu cum magno gemitu, ac sic  
 reptando & se trahendo, peruenit ad beatum sepulchrum,  
 nimio anhelante spiritu. Iactans verò ac se humiliter proten-  
 dens in paumento, lacrymis profusis rigans illud, poscebat  
 magnis fletibus, suæ subueniri angustiæ, suo cruciatui auxili-  
 ari, & finem tormentorum ponи, contemptum obliuisci, &  
 quām in sanctum martyrem exercuerat audacter superbiam,  
 pro suâ clementi misericordiâ benignè dimitteret, ac dolores  
 cruciatusque misericorditer sedaret, fouveret, mitigaret. Quid  
 vltierius morer? Auditis clementer sanctus martyr mulier-  
 culæ clamoribus, propitius indulxit, sanavit, medelam resti-  
 tuit, domumque incolumis redijt. O admirabilis, fratres ca-  
 rissimi, Salvatoris nostri benignitas! O inæstimabilis bonitas,  
 quæ tam velociter suos vlciscitur famulos, & tam gloriose  
 suos honorat, etiam in hoc seculo, fideles, ac in cælesti beati-  
 ficat regno! Contempsit vna muliercula sancti martyris festa,  
 recepit è vestigio digna suæ præsumptionis præmia, & pro il-  
 lius



Iius vltione multi sunt correcti supernâ prouisione, ne præsumant similia agere diabolo instigante. Vnius enim peccatricis pœna, multorum correxit nequitiam, atque per huius mulieris præsumptionem, plures venerunt ad emendationem. Fugato itaque ab illâ omni incommodo, auxiliante sancto martyre Dagoberto, omni populo, tam in illo pago, quam vbi que, venit emendatio ex tali facto.

Cuncti ergò gloriosum Christi martyrem Dagobertum omni cordis virtute, præconio decenti laudantes, deprecemur, quatinus omnipotentis Dei clementiam nobis iugiter imploret, ac per ipsius gloria merita, delictorum omnium mereamur obtinere veniam, & pervenire valeamus ad supernorum ciuium ineffabilia gaudia, quibus fruitur per omnia secula. Veneremur itaque cum magnâ reuerentiâ egregij martyris regisque sanctissimas lipsanas, quia eius interuentione potest nobis perennis vitæ prouenire felicitas. Indefessis etiam precibus illius flagitemus almitatem, quò nostrarum misericordiarum assiduus existat consolator, ac pro nostris quotidianis excessibus omnipotentis exoret ineffabilem pietatem. Possimus sanè de isto martyre veraciter animaduertere, qui in vitæ suæ supremo meruit à Deo coronari martyrio, quod per omne suæ præteritæ vitæ spatiū, iustis operibus studuerit, pro quibus finis est optimus secutus. Creditur planè crucem Christi semper illum portâsse, cui talis est datus finis vitæ. Qui enim dignatus est sublimare illum super omnem suum populum, præsciebat profectò quis interius foret, licet homines omnino lateret. Amator nempe illius rex altissimus factus est, cui plebem suam tam sublimiter regere concessit, & ad gloriosum finem feliciter perduxit, & cum martyrij palmâ cælorum fastigia ascendere fecit, ubi modo triumphat coronatus in angelorum splendidissimo choro. Gaudeat ergò omnis iustorum ecclesia tanti talisque martyris illustrata prodigijs,

D 2

ag

ac virtutibus, totaque mentis humilitate eius quotidiè postulet beneficia; quia valenter potest apud supernum regem impetrare, quidquid pro hominum salute vult petere. Nec eius precibus quidquam à Domino negabitur, si rogantis illum preces sine hæsitatione prolatæ fuerint. Cum omni verò fiducia sancti martyris Dagoberti precetur solatium, nihil corde dubitans, & accipiet sine dubio quicquid petierit, omnis scilicet Christianus fidelis. Infidelis enim, non meretur exaudiri. Fidelibus autem, inquit Deus, antequam me inuocetis, dicam vobis, ecce adsum. Rogemus quidem sanctum martyrem pro nostris ingruentibus angustijs regem cæli flagitare cum fide non ficta, & obtinebit procul dubio salutem nostrā, quam ab ipso poscimus sinceriter, & omnia nobis profutura fideliter impetrabit. Cum tota animi contritione, sancte ac beatissime martyr Dagoberte, tuæ supplicamus misericordiæ, quatinus tuis sanctis interuentionibus protegatur totius sanctæ ecclesiæ exercitus. Impetra nobis pacem, vetam concordiam, caritatem firmam, tibique veneranter famulantes defende de cunctis inimicis, & ad tua perduc gaudia sine fine mansura, quibus gaudens frueris per eum, qui te glorificauit presentialiter, & glorificat æternaliter, I E S U S C H R I S T U S

Dominus noster, qui cum Patre & Spiritu sancto viuit

& regnat D E V S per omnia secula seculorum.

Amen.

DE



# DE S. DAGOBERTO

## MARTYRE PROSA.

Ex codice  
Satana.  
censi.

**H**ic est contemptor regnum,  
Vel delicti mundanorum,  
Qui fulget inter sanctorum,  
Beata collegia.  
Hic regalis genitura,  
Mundum spreuit, peritura  
Linquens, sperans permansura  
Paradisi gaudia.  
Ad Cale monasteria,  
Traditur ab infantia:  
Eruditur scientia,  
Spirituali gratia.  
Eruditus lucem dedit,  
Quasi stella lumen edit,  
Deum timet, Deum credit,  
Dans legis iudicia.  
Inde Remis vocatur:  
Semen spargit, exoratur,  
Ad plebis subsidium.  
Semen sanctum manu satum,  
Fructum dat multiplicatum,  
Per Dei iudicium.  
Hinc ad partes remeauit,  
Ac deuotus visitauit,  
Sanctum Dionysium.  
Hic pristina menti datus,

*Est vir quidam insensatus,  
Per sancti suffragium.  
Rothomagum visitatur,  
De feodo disceptatur,  
Iudicium retardatur,  
Sed confessim comprobatur,  
Iniqui iudicium.  
Sancto preces effundente,  
Deo scdes euertente,  
Ruunt consternata mente;  
Sic luduntur & repente  
Dei prouidentia.  
In Frisia conuersatus,  
Audit duros ululatus  
Captiuorum, quos ligatus,  
Ferri stricti duplicatus,  
Et famis angustia.\**

*Seruus missus sceptrum gerit:  
Sceptro regis claustra ferit,  
Et captiuos mox eiecit:  
Quisque domum suam querit  
Cum magna latitia.  
Rex venari cupiens,  
Siluam petit gradiens,  
Quae vocatur uvipria.  
Dum venantur seruuli,*

30 ACTA D. DAGOBERTI.

*Iuxtaripam riuali,  
Tendit rex ad somnia.  
Dormitans in latebris,  
Cælum videt, celebris  
Ad quod ire nititur.  
Auditofiliolus,  
Somnio,maliuelus,  
Vano lucro fallitur.  
Hunc orat pro requie,  
Congaudens pecunia  
Per verba fallacia.  
Tendit rex ad somnium.  
Mox arrepto gladio  
Sanctum ferit histrio.*

*Hic tali martyrio.  
Celi petit solium.  
Corpus terra subleuatur,  
Sathanacum deportatur,  
Ac deuote veneratur,  
Per eius confinia.  
Martyr Christi præelecte,  
Deo placens & perfecte,  
Martyrio cælo vecte,  
Duc nos ad cælestia.  
Ipsum votis collaudemus.  
Voce corde exultemus,  
Ad beati suspiremus  
Dagoberti gaudia.*

A M E N.



IN



IN ACTA  
D. DAGOBERTI  
REGIS ET MARTYRIS  
PRÆFATIO.

**N**ID E o multos nostræ memoriæ homines in eâ quæstione versari, quis sit Dagobertus ille, cuius Sathanaci ad Mosam sacrum corpus situm est? Nonnulli enim existimabant, esse Dagobertum cognomento Magnum, Chlotarii filium, Sigiberti Austrasiorum regis patrem. Alij Dagobertum, Sigiberti iam dicti filium, quem impuberem adhuc & regni legitimum hæredem, Grimoaldus tutor eius attondit, regnoque exclusit. Qui verò crederet, aut suspicaretur adeò, esse Childeberti vltimi filium, Pipino Heristallio & Carolo Martello æqualem, Dagobertum Iuniorem vulgo in annalibus appellatum, nemo unus hucusque inuentus est. Et hic tamen verè ille ipse est.

Nam Dagobertus Magnus, simul atque obiit, illatus est in basiliam D. Dionysii, prope Lutetiam Parisiorum. Quod quemadmodum historia omnis vetus clamat: ita, delatum alid eius cadauer, nullus neque antiquorum, neque recentium, scripsit. Quin adeò nuper Doubletius, *Prior*, vt vocant, cœnobij D. Dionysij, qui res suæ domus, quatuor libris complexus est, in quarto, capite I. scribit, cadauer Dagoberti Magni sub arâ basilicæ maximæ, etiamnum esse situm.

Iam Dagobertum alterum, quem regno Grimoaldus exclusit, sepultum esse Rothomagi, testantur D. Audoëni, eius urbis Episcopi, aëta, tum ea, quæ Surius emisit, tum ea, quæ manu exarata in cœnobia D. Maximini Treuirorum episcopi exstant, diuersorum vtraque auctorum. Suriana omnium manibus teruntur: Maximiniana ita habent; *Rexit autem beatus pontifex Audoenus Rotomagensem ecclesiam annos tres & quadraginta, menses tres, & dies decem. Nonagenarius migravit ad Christum, \* Lege DC Dominica Kalendarum Septembrium, qui fuit annus incarnationis Domini LXXXIX. DCLXXVII. \* Ecclesia porrò, in quâ sanctum corpus conditum est, miro Nam in fertur actis*

*aetis D. E. fertur opere construēta ab artificib⁹ Gothis, ab antiquissimo Lothario Fran-*  
*ligij, ipse cornum rege. Flavius episcopus, ciuitatis eius sedem tunc gubernabat, Domi-*  
*D. Audoē-*  
*nus scribit nica incarnationis anno D. in quā p̄fati regis Lhodharij duæ requiescunt*  
*se inaugu-*  
*uxores, Aldetrudis atque Bertetrudis, & Dagobertus, Sigiberti regis filius,*  
*ratum XIV. quem Grimoaldus clericum fecit. Hildericus etiam rex, frater Theoderici,*  
*die mensis & uxor illius Bilhildis cum filio. Hoc sanctus episcopus ibi sepelinit.*

*III, anno III*

*Chlodouſi, iuuenculi adhuc re-*  
*gis, die Do- minicā, an-*  
*te Litanias, hoc eſt, anno DC XLVI.*

Ad quā aduertant animum illi, qui calidē hactenus contendunt, Dagobertum Sigiberti filium, sepultum esse in Monte Falconis haud longè Viroduno, quibus, quid istum errorem præbuerit, non video, nisi forte Flodoardi locus quidam in libro IV. historiæ Remensis malè intellectus, aut potius supinè lectus; Traditur ibi capite XXXIX. Baldricum abbatem, in Monte Falconis fuisse tumulatum, de quo proximo capite superiore Flodoardus dixerat: *ferri*, eum Sigiberti Austrasiæ regis fuisse filium; sed *ferri*, inquam. Esto tamen, fuerit is verè Sigiberti regis filius, an continuò nodum hīc stringere licet, nexusque hunc facere? ergo Baldricus ille, situs in Monte Falconis, est frater sūns Dagobertus. Quid absurdum, si hoc absurdum non est?

Quare de Dagoberto nostro, ut quis sit sciatur, ita argumentandum censco. Cum tres tantum Dagoberti reges Francorum in publicis receptisque annalibus inueniantur, primus Dagobertus Magnus, alter Dagobertus nepos eius, regno exclusus, tertius Dagobertus Iunior, Childeberti filius, quoniam superiores duo, alter ad D. Dionysij, alter Rothomagi sepultus est, tertium, Childeberti filium, eum ylique esse oportet, cuius Sathanaci in veneratione tumulus est.

Quamquam hæc ita disputare minimè necesse erat, postquam a-  
*cta, quæ hic edimus, abundē adstruunt, quis Dagobertus Sathanaci con-*  
*ditus sit? Nimirum Dagobertum, Pipino Heristallio, Carolo Martel-*  
*lo, Ratbodo Frisorum duci an regi, Diuis Willibrordo & Bonifatio*  
*archiepiscopis, & Hugoni Fontanellæ abbati, Drogonis filio, Pipini*  
*Heristallij nepoti, æqualem, qui patrem habuit Childebertum, inter*  
*Franciæ reges eā appellatione postremum.*

Huic veritati, velut cumulatiore mensurâ, addantur testimonia duorum ex antiquitate scriptorum, quorum alter Theodoricus cœnobita Epternacensis, ante annos amplius quingentos, alter Albericus, cœnobij Trium Fontium in Burgundia alumnus, ante annos amplius quadringentos floruerunt, uterque autem prodit, S. Dagobertum Sathanaci situm, eundem esse, qui Carolo Martello fuit æqualis. Locos eorum infra opportunè dabimus. Ponamus.

Verum,



Verūm, hīc fortasse idem nobis euenisse quidam arbitrabuntur, quod ijs, qui genus & originem suam retrò excutientes, in maiores pœnitendos, & pessimi odoris auos inciderunt. Quomodo Satyræ terisoris auctor, Romanos equites, altè nimis prosapiam repetentes, monet, ne ad Romulum usque nomen reuoluant, nisi peruenire velint ad maxima scelera, ex quibus Roma primum conflata est, ad latrones, sicarios,

*Aut id quod dicere nolo.*

Postquam enim Dagobertum, quis sit, iam inuenimus, nempe, fuisse Childeberti postremi filium, conuitum illi continuò vulgus faciet, dicetque, fuisse ergo eum ex ignauis illis Francorum regibus, in quos stirps nominis Merouingici defecit. Quos qui descripserunt, scenā quidem & spectaculis apta multa, nihil autem veræ maiestatis, nihil summo illo imperio dignum nobis attulerunt. Reges comatulos, per annua comitia in campum Martium, seu Madium, seu Maium (ita enim varie appellabant) iugatis bōbus in carpento procedere solitos. Concedisse ibi in throno, & à populi multitudine munera accepisse. Iuxta prætorio præfectos ad fuisse, & eius anni res, domi militiæque gerendas, populo indixisse. Hinc reges, velut ex theatro, domum auctos, ad regale palatium Mamaccas, ubi decretis certis vectigalibus, in otio & socordiâ, tanquam in saginâ, alerentur, nihilque curarent, nisi vt tabulis publicè edendis præcessent, & comam ex disciplinâ primorum Franciæ regum submitterent: Ut proinde Dagobertus, cum ex postremis illis Merouingicis regibus unus fuerit, non sanctus, sed ignauus, videatur à nobis esse inuentus.

Terrent ista profecto; sed vt Laruæ, quibus foris horrenda species, intus nihil omnino ad timorem, præter inanimenta vanæ & vacuae.

Primum enim, cedo, qui sunt, qui talia de regibus illis prodidere? Auctores antiqui, inquis: incertus ille, qui primum velut limen obtinet annalium Metensium; ex varijs enim collecti sunt; deinde Eginhartus Carolo Magno à secretis; ac tandem scriptor anonymus annalium à Petro Pithoeo editorum, ex quibus alij hausere. Recte! Illi ipsi sunt. Sed qua fide, ista tradiderunt? Primi quidem duo, toti sunt in laudibus stirpis Carolinæ, quæ Merouingicæ succreuit. Nec postremus, vt qui florēt eādem Carolinâ propagine scripsit, aliter de eā, quam magnificè; at de gente Merouingicâ non nisi exiliter, scribere potuit, vel ausus est. Vnde haud dubia fuit in istis omnibus, si non assentatio, certè blandiloquentia. Vetustiores, & genti Carolinæ anteriores, nihil tale de regibus

E

in



in litteras contulerunt. Quos, quin de regibus suis indecori ista, si vera fuissent, scribere auderent, nihil erat, quod retinere posset, quandoquidem (vt isti volunt) scenici tantum & umbratiles erant eorum reges, solique verendi praefecti praetorio, penes quos omnis potestas habebatur.

Sed nouum non est, solem orientem respici, & nouè exurgens imperium occubenti anteferri.

Zuenteboldum, Arnolfi imperatoris filium nothum, Lotharingia regem, à proceribus in prælio cæsum, narrant fuisse impotentissimi animi iuuenem, & planè tyrannum. Sed hæc produnt, qui Lotharingia rebellibus proceribus Reginario, Odoacro, alijsque, qui tum in Lothariensi regno dominabantur, velificati sunt. At Suelstræ, oppido Iuliacensis prouinciae, Zuenteboldus sanctus & Diuus colitur, talisque à Fisenio nostro, in libro, quem flores ecclesiæ Leodiensis inscripsit, celebratur.

Quare, de regum Merouingicorum posteriorum iactatâ ignauia, hoc primum dixerim, colorem esse inuidiosum, quo eos infecerunt laudatores & cultores Pipinianorum, & Carolinorum.

Et vt fucum hos homines fecisse magis appareat, age, eorum, quæ tam speciosè de regum Merouingicorum ignauia declamitant, nonnulla pressius intueamur. Eginhartus, vir eloquens, in actis Caroli Magni, ita de quolibet Merouingico rege scribit, ut præter inutile regis nomen, & precarium vita stipendium, quod ei praefectus aulae, prout videbatur, exhibebat, nihil aliud proprij possideret, quam unam & eam perparui redditus villam, in qua domum, ex qua famulos sibi necessaria ministrantes, atque obsequium exhibentes, paucæ numerositatis habebat. Annales Metenses Mamaccas domum illam nuncupant, vbi regem annos totos confedisse volunt.

Hæc autem tabulis publicis, tum ipsorummet regum, tum aliorum, validissimè confutantur, quarum aliquot clausulas adferam.

Ordinar à regibus, qui post victum in Textriacensi prælio Theodicum regnarunt, quoniam ex hac victoriâ, praefecti praetorio ad summum illud potentiae culmen euaserunt.

Childebertus, Dagoberti nostri pater, cœnobio D. Dionysij dedit villam suam Soleium. Datum Confintisce, Martij die XII. anno vero XII. regni nostri. Mamarcas in Dei nomine recognouit feliciter.

Idem Helistam Batauiæ vicum, Pipino Heristallio de suo fisco, & ex Largitatis sue munere, concessit, vt est in tabulis Caroli Martelli.

Dagobertus noster, cœnobio D. Arnolfi donauit vicum Nauis ad Mosellam, Idem Erfesfortense cœnobium condidit, & ditauit. Idem quæ Sigibertus Dagoberti Magni filius Stabulensibus dedit, rata habuit.



Chilpericus, Daniel anteà appellatus, cœnobio D. Dionysij attribuit ingentem siluam, Rouerito dictam, ad Sequanam in agro Parisiensi. Datum pridie Kal. Marcias, annum secundum regni nostri, Compendio. In Dei nomine feliciter.

Idem cœnobio D. Arnulfi Mediomaticibus donauit villam suam Marte,<sup>\* sitam in pago Moslense. Datum, quod fecit mensis Junij octauo, anno secundo regni nostri. Compendio palatio nostro.</sup> \* Martille hodie

Qui hæc clargiti sunt, vnamne perparui redditus villam possidebant? sed de villa publicâ Mamaccas iucundum est differere. Huc nimirum rex, postquam annuis comitijs in populi conspectum datus erat, custodiendus mittebatur. Mittebatur autem cum honore & veneratione. Papæ! Quo istud modo? In carpento, bubus iugalibus, agitatore uno, eoque tantum non bubulco. Nam aliter quoquam mouisse illos reges, Eginhartus negat. Hem! Quantum hoc erat venerationis! At cum Mamaccas iam deuentum erat, quid ibi? Custodiebatur nempe rex. Diceres, ut rem homines isti colorant, Mamaccas velut aliquem carcerem regibus misericoribus fuisse, aut auiariam aliquam caueam, ex qua nec proferre pedem, nec euolare fas esset, donec instantibus comitiis, carpento iniecti, vocatisque adiugum bobus, in campum martium spectaculum populi iterum auchendi essent. Quis non videt, quam vanè hæc scripta sint! Nunquid ex superioribus intelligitur, reges illos regnum peragrâsse, & tabulas (vt de alijs rebus gestis nil dicam) edidisse Confintisci, Compendij? Adam nunc & alia palatia, in quibus reges illi versati sunt.

Theodericus Dagoberti nostri filius, pro Sithiuensi, seu D. Bertini monasterio, diplomata duo dedit. Primum ita definit: *Data, quando fecit Martius dies III. anno primo regni nostri. Suesionis ciuitate.* Alterum ita: *Data, quando fecit Nouember dies decem, anno primo regni nostri Conflentis castro.*

Idem Theodericus rescrispsit bis pro Monasterio Murbacensi. Rescripto primo, addita hæc ad calcem. *Gondolfi Villa, in Dei nomine feliciter.* Secundo ista: *Data Metis, in cœnobio S. Arnulfi, eiusdem loci episcopi, quod est constitutum in Suburbio, sub die Kal. Maij, anno Dominica Incarnationis DCCXXIV. Indict. III. anno vero regni domini Theodorici V.*

Childericus, Merovingicorum regum ultimus, pro Bertinianis tabulas edidit, hoc exitu: *Data, quando fecit Aprilis dies XXII. anno primo regni nostri, Crisiaco palatio.*

Quid? Qui modo Augustæ Suesionum, iam Confluentibus, nunc



ad Gondulfi Villam propter mosellam, tum Diuoduri Mediomaticorum, hinc Cresciaci in Galliâ, degebant, eos tu in Mamaccas custoditos, tanquam Ludicrum aliquid populo suo tempore expromendum, dicas. Mitto cetera, de carpento, de bubus, de bubleo rusticomore agente, in quibus eloquens mihi viderer, imo & facetus esse posse, si fabulis immorari esset animus.

Verum, demus illud ( quod neutiquam tamen damus ) demus, fuisse posteriores Merouingicos reges tantæ, quantæ isti volunt, socios. At discrimen profectò inter postremos Merouingicos faciendum est, & à quibus decantata illa desidia primum cooperit, dispiciendum.

Chlodouæus itaque Dagoberti Magni filius, brachium D. Dionysij martyris abscondit; à quo facinore, ceu primâ labefactatione, casum Merouingicæ domus arcessunt, scriptor Theoderico Iuniori æqualis, & Ado in chronicô. Vicitus deinde est à Pipino Heristallio Theodericus rex, Dagoberti nostri annus; ac tum vel grauissimè inclinatum est Merouingicorum imperium, Maiorumque domus potestas penè suprà reges elata. Necdum tamen ignauii vili prorepsere. Mortuo autem Dagoberto nostro, tum tandem vecordes isti exorti sunt. Ita enim scribit monachus S. Eparchij, in actis Caroli Magni: *Post Dagobertum, defecit genus regale, à prudentia, & regnauit post ipsum Dagobertum, Daniel clericus insensatus, frater eius, quem Franci mutato nomine vocarunt Chilpericum.* Auctor actorum D. Genulfi Libro II. *Post hunc verò Dagobertum regale genus à prudentia defecit.* Eximendus itaque ex vecordium numero Dagobertus noster, eiusque maiores.

Denique, si contentiouse adhuc reclamatur, reges Merouingicos, iam inde à Chlodouæo Iuniore, aut certe à Theoderico, quem vicit Heristallius, omnes, etiam antè Danielem, dicendo ignauos, quero, quæ tandem ea fuerit ignauia? An quod amentes essent, & *insensati?* At omnes antè Danielem sapuisse, indubium est, & deinceps ex dicendis apparebit. An, quod rem publicam non attingerent? Quod bella non gererent? At, qui poterant, si prætorio præfecti omnia hæc sibi arrogabant, regibus velut sub eorum dominatione depresso. Vitium nullum est, nulla culpa, nisi volentium. Qui coactus à rebus laudandis abstinet, turpitudinis nihil habet.

Postremò, conniveamus hic quoque, gratisque dissimulemus, *ignatum* quoquo modo dici posse, qui vnius consilio & ope viri regnum domi, militiæque administrat, ipse interim modestus, tranquillus, honesto in

in otio quietus ac pacificus, quis officere id existimet, quo minus innocens, rectus, & sanctus esse possit?

Quæ cum ita sint, vides, quæ sit eorum hominum infiditia, qui Dagoberto nostro ex solâ vulgi famâ (quæ fallax semper est) ignavi titulum imponendum esse putauerunt. Quod ut testatus etiam sit, legantur hæc acta D. Dagoberti, apparebitque eum non mediocriter sanè nāuum ac strenuum fuisse regem.

Ita vindicato D. Dagoberto, pauca insuper adiicienda videntur, quæ faciant vindicando scriptore actorum eius. Atque ut incipiam ab eius nomine, id nos vir modestus latere voluit. Fuit autem ex ordine D. Benedicti, cui ordinis Ecclesia debet scriptores penè innumerabiles. Scripsit verò, ut opinio nostra est, non multo post Carolum Calum, aut certè proximè à Nortmannorum in cursonibus, pro ut in notationibus obseruamus. Vnde necessariò consequitur, ut ea quæ prodit, utique ipse videre non potuerit, sed ab alijs acceperit. Nec mihi dubium est, quin fama materiæ subinde aliquid præbuerit, aut scriptoris, recti & candidi hominis, calamum, rebus interdum non ita exploratis, velut sequiore quodam atramento inxerit; & bis quidem aliquanto spectatius. Nam primo, tradit D. Dagobertum ab aqua Balthilde in monasterio Calæ, ubi illa post exactum coniugium pientissimè vixit & obiit, educatum, quod tempora non patiuntur. Deinde somnium, quod vni ex maioribus D. Dagoberti, Guntramno Burgundionum regi, oblatum esse scribitur, id D. Dagoberto attribuit. Quæ quam impetrabilis veniæ peccata sint, facile astimabit, qui actorum D. Georgij martyris, D. Siluestri pontificis maximi, D. Seruatij Tongrorum episcopi (ut alia eius generis multa omissam) meminerit. Et acta quidem D. Siluestri, quanto in precio sunt, tum apud alios, tum apud Cæfarem cardinalem Baronum! Quanta est viri eminentissimi in ijs defendendis diligentia! Quid non ingenij & studij contulit magnus ille annalium sacrorum conditor, ut disputationem Constantini Magni cum Iudeis, ut fugam & latebras D. Siluestri, ut draconem illum subterraneum explicaret! Et quanquam fecit ista sane feliciter, inuenit tamen fabulositatis aliquam scoriam, quam ex auro illo excoqueret. Iam Metaphrastes, qui de Diuorum rebus gestis iustū volumen composuit, & meritò magni fit ab omnibus orthodoxis, nunquid tamen à grauissimo censore Bellarmino in nonnullis notatus est? Hæc ergo, aliaque id genus scriptorum monumenta, cum non tantum non repudientur, verum etiam, ut par est, honoratissimè reci-

piantur, quamuis falsa nonnulla contineant: multo magis scriptor hic noster qui res multas huc usque incognitas profert, ambabus, ut aiunt, manibus accipiendus est, nec idcirco quod bis (& quantulum hoc est) à famâ circumuentus, non responderit liquidissimæ veritati; semel, dum personæ attribuit, quod loco, in quo persona degebat, attribuendum erat: iterum, dum rem alioqui veram, abalienauit; quibus de rebus in notationibus enucleatus tractamus. Cetera vero horum actorum, quinque volent, securus legat, atque, ut à D. Hieronymo usurpem verbum, quod ipse de D. Hilarij commentarijs scripsit ad Lætam, *inoffenso decurrat pede.*

IN ACTA  
D. DAGOBERTI  
REGIS ET MARTYRIS.  
NOTATIONES.  
IN PROLOGVM.



RATERNITAS SATHANAGENSIS. Sathanacum mosæ infrà Virodunum accubans oppidum, tum munitionibus, tum imprimis Diui Dagoberti regis exuuijs nobile, quis condiderit, non inuenio. Per antiquum esse locum, constat ex vocabuli exitu. *Acum* enim veteri Celtarum linguâ villam esse, contendunt docti. Id in confessò est, antiquissimarum Vrbium vicorumue nomina in *acum* inclinari; ut Gessoriacum, Moguntiacum, atque, ut propinquâ etiam Sathanaco loca consectemur, Mosacum (*Mousay*) Duodeciacum, (*Douzy*) Iuueniacum (*Iunigny*) Quintiacum (*Quincy*) Gemmacum (*Iamais*) Caluenciacum (*Chauancy*)

*Quod verò auctor actorum, quæ illustratum imus, prodit, Sathanacum*

nacum dici coeptum esse, postquam ibi depositus D. Dagobertus, cum antea Sathan appellaretur, id pium magis, quam credibile est.

Nec diuinari facile potest, an *Sathanacum* ex Latino, Celticoque vocabulo conflatū sit, ut sunt Duodeciacum, Iuueniacum, Quintiacum, Gemmacum & Calueniacum. Durant quidem Latini populi circā *Sathanacum* vestigia, reperti nummi, & aliæ Romanorum antiquitates, in primis dimidio milliari à *Sathanaco* ad vicum Balim. \* Ibi antè quadraginta annos reperta sunt ingentes sub terrâ murorum ruinæ, profundiue deorsum aditus, in quibus plurimæ cellulæ fornicate, in ijsque fornaces lateritiæ, latæ longæque binos aut ternos pedes, caminis ex argillâ velut vñâ massâ, fusis; Erat in fornacibus varijsque circa locis, magnus pecuniae numerus, atque in primis olla, quatuor alta pedes, nummorum plena. Confluente ad rei nouitatem populo, plures etiam effossi nummi, ferè omnes ærei, qui præ rubigine vix internosci poterant, nisi quod D. Claudijs, & D. Antonini imperatorum nomina, nonnulli præferebant, quos vir eximius Ioannes Floncelius, Pastor *Sathanacensis* servat, cum alio per sanè egregio, cuius vna facies huiusmodi est. Sedet Iupiter, alterâque manu hastam puram, alterâ aquilam, ministram fulminis, gestat. Circum hæ litteræ: ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ ΣΟΠΑΤΟΡΟΣ. ΕΤΕΡΓΕΤΟΥ. In alterâ nummi facie, caput est gemino vultu, quale Iani. Vultuum vni, calathus impositus est. Sub vultibus, cornu copiæ, & iuxta elementum Græcum A. Huius nummi, opiuor, verus interpres est Macrobius, libro I. Saturnaliorum, capite XX. Ægypto inquit adiacens ciuitas, quæ conditorem *Alexandrum Macedonem* gloriatur, Serapin atque Iisin cultu penè attonita venerationis obseruat. Omnes tamen illam venerationem Solis sub illius nomine testatur, impendere, vel dum calathum capiti eius insigunt, vel dum simulacro signum tricipitis animalis adiungunt. Descripto deinde tricipiti illo monstro, causam ad fert, cur Soli seu Serapidi calathum *Alexandrini* imponant: vertex inquit, insignitus calatho, & altitudinem sideris monstrat, & potentiam capacitatis ostendit, quia in eum omnia terrena redeunt, dum immisso calore rapiuntur.

Est ergo hic nummus percussus, non Alexandriæ quidem, vt reor, sed ad formam eorum, quos conflabat *Alexandria Ægypti*, quæ conditoris sui *Alexandri* studiosa veneratrix, Iouem (solebat autem Alexander eo patre gloriari) in sellâ residentē effinxit, cum titulo regis *Alexandri Nobilis, Benefici*. Cornu Amaltheæ, fertilitatis argumentum, recte Sera-

\* Nunc,  
Baalon.

Serapidi, & Isidi, hoc est, Soli, & Lunæ, quæ sidera terræ frugibus incrementa præbent, apponitur.

Cui verò rei fornaces illæ ad Balim servierint, opinari magis, quam exploratò scire licet. Monetariam officinam fuisse in Treuiris, quorum finibus Sathanacum & circumiectus ager continebatur, docet libellus Notitiæ imperij occidentis. Sed cum constet pecuniam nullam extrâ ciuitates signatam, veri similius est, non triumuros monetales, eorumque ministros, sed corruptores quosdam monetæ, his in specubus pecuniam conflauisse. Cum enim omni semper hominum memoriâ, tum vero Romanis dominantibus, avaritia nummis adulterandis inuigilauit, adeo, ut auctor commentarioli de rebus bellicis, quem Guido Pancirolius luci dedit, imperatoribus suaserit, ut opifices monetæ redacti vndeque in unam insulam congregentur, nummarijs & solidorum usibus profuturi; à societate videlicet terra prohibiti, ne commixtionis licentia fraudibus opportuna, integritatem publicæ auctoritatis offuscat.

Existimauerim tamen, si ad Balim furtim moneta vlla vñquam cusa est, eam non mixtione adulteratam, aut corruptam, cum non alij, quam ex puro metallo conflati nummi ibi reperti sint, sed priuatâ auctoritate, & vt dixi furtim, ad publicæ ratæque monetæ formam percussam. Atque hæc ad Balim.

Quintiaci autem, propè à Caluenciaco, qui vicus cum arce prouinciæ Luciliburgensi accensetur, & primo à Sathanaco lapide situs est, in Latumijs, sepulchrum saxeum, anno MDCXIII. repertum est, inerantque tres vrñæ fictiles cineribus refertæ, quas ob artificium Bruxellas mitti placuit.

Atque ex his, et si certum est, frequentatum olim à Romanis Sathanacum, proximaque Sathanaco loca, inde tamen sciri nequit, an Romani cum Celtis Sathanacum cognominauerint; nec minus qui eorum condiderint?

*Fraternitas* porrò Sathanensis, seu, ut auctori scribere placuit *Sathanagensis*, sitne canonicorum, quos vocant, collegium, quod olim ad basilicam D. Dagoberti Carolus Caluus constituit, an cœnobitæ, quos postea amotis canonicis Godefridus Barbatus I.otharingiæ dux cum Beatrice coniuge induxit, ambigo. Ut canonicorum collegium opinari malim, inducor primò, quod scriptor horum actorum de amotis per Godefridum canonicis mentionem nullam faciat, facturus indubiè, nec omissurus rem tam memorabilem, si post canonicos eiectos, ad mona-

monachos scripsisset, præsertim cum ipse, ut mox dicendum, ordinis D. Benedicti fuisse videatur. Deinde obseruabo infra, videri acta hæc condita, haud multo post tempora Caroli Calui, inter quem & Godefridum Barbatum, canonorum amotorem, duo fermè secula intercessere.

**HANC ITAQVE OBEDIENTIAM.** Quod hoc loco auctor *obedientia*, & *D. Benedicti* meminerit, eiusque opem imploret, arguunt ista, fuisse cœnobitam Benedictinum.

**Ex ASSE.** In solidum, ex integro, consummatè, rectè. Locutio familiaris Apollinari Sidonio, & HCC.

**A MEMORIA HOMINVM MODO VIVENTIVM PENITVS RECESSERVNT.** Mens auctoris est, memoriam rerum D. Dagoberti non extare vulgo & passim. Cum enim mox addat se ea scripturum, quæ à veracibus acceperit, vtique memoriam aliquam rerum gestarum D. Dagoberti super esse intelligit; nisi furiosum eum & amentem dicere malumus, quod res obliuione deletas, scripto voluerit comprehendere. Quare necesse est ita eum interpretari. Acta D. Dagoberti, propriè & seorsim scripta, non inueniri: vulgum item & ex plebe homines, passim ea ignorare: scripturum se tamen, quæ comperebit ab eruditioribus, & in lectione publicorum annalium atque actorū versatis, resque gestas maiorum scientibus; Hos enim *veraces* ab eo dicitos, aperta ratio est.

**AD LEGENDVM IN EIVS DIE SOLENNI.** An intriclinio, aut basilicâ, solis auditoribus cœnobitis? An verò publicè, audente populo? Populo enim acta Diuorum Latinè prælegi olim solere, docet Alchwinus, proœmio in acta D. Richarij. Sed sermo is Latinus, ex culto horridus, & ex sincero corruptus erat, ut rectè in actis conciliij III. Turonenſis, *rusticus Romanus* appellatus sit, cuius inculti sermonis specimen Nithardus, alijque scriptores antiqui conseruauerunt.

**DICTATORIS.** Et ante, & mox, pennâ se vsum & scripsisse, indicat auctor, non dictasse. Positum ergo hic *dictare* pro scribere. Ita Alchwinus in actis D. Vedasti: *Magis cernentium ore narrantur, quam dictantis stylo scribantur.* Glossæ Latino-Saxonicae ex Friderici Aenobarbi æuo, vocem *dictare*, reddunt, *dichten*, quod est commentari; pro quo etiam, quod magis inauditum, *profare* ponunt, & vocem *proficius*, vertunt, *dichtich*, quasi dicas, commentabilis. Quia tamen *dichten* Theutonibus subinde est poëma condere, existimem, *profare*, esse idem, quod,

facere poëma. Ex quo genere poëmatum, sunt odæ illæ rhythmicæ, quas *prosa* & *sequentias* vocant, quas in sacrificio inter epistolam & euangelium concinebant. Nos veterem de D. Dagoberto *prosam* actis eius subijciemus, ex membranaceo Sathanacensi codice descriptam, cuius auctor haud dubiè actis nostris est posterior, eaque redegit in compendium.

**MALVIT SVRDAM OMITTERE ABSQVE AVCTORIS VOCABVLLO MVTAM.** Facilius quid, quam quomodo dicat, intelligo; nisi forte utrumque voluit; nempe, emittere se librum suum mutum & surdum: mutum, ut de nomine auctoris rogantibus respondere non possit; surdum, ut rogantes ne audiat quidem.

## IN ACTA.

**THEODERICVS AVVS IPSIVS.** Stemma priscorum Franciæ regum à Dagoberto Magno ad hunc nostrum, subijcio oculis, non quod vulgo, incognitum sit, sed ut sciatur, quam actis hisce probè respondeat.

Dagobertus Magnus.

Situs est ad D. Dio-  
nysij.

Chlodouæus II.

R. Neustriæ &  
Burgundiæ.

S.Balthildis

vxor

Sigebertus

R. Austra-  
fiæ.

Chlotarius III.

Childericus II.

Theo-  
deri-  
cus.

Dagobertus à Grî-

moaldo attonsus.  
Situs est Rotho-  
magi.

Chlodouæus III.

Childebertus II.

S. Dagobertus II.  
martyr situs Sa-  
thanaci.

Theodericus  
Junior.



**VIR BONVS ATQVE POTENS** Inter horum temporum Francos reges, præcipuam Childeberto laudem ab æqualibus & antiquis scriptoribus tribui video. Auctor Theoderico Ultimo seu Iuniori coæuus, *virum inclytum, regem instum*, appellat: annales antiqui, scripti sub annum DCCCXI. *gloriosum & instum*: qui acta D. Leufredi abbatis condidit, *gloriosissimum & aquissimum*; noster, etiam *regum fortissimum*.

**MORTE ITAQVE PRÆVENTVS REGIS THEODERICI.** Theodericus Dagoberti nostri avus, anno regni XXIV. Christi DCXC, decepsit. Regnauit eius loco Chlodouæus, filius eius, puer. Quò post quadriennium mortuo, regnum ad fratrem eius Childebertum deuenit; idque passim veteres produnt, scriptor rerum Francicarum, Theoderico Dagoberti nostri filio æqualis, Fredegarius, Annales Metenses.

At noster auctor in cā sententiâ videtur esse, vt Theoderico Franciæ vniuersæ, hoc est, Neustriæ & Austrasiæ, rege defuncto, Chlodouæus vnâ regni parte, fortè Neustriâ, Childebertus alterâ, nimirum Austrasiâ, potitus sit, donec Chlodouæo mortuo, Childebertus Franciæ in solidum imperauerit. Quod satis indicat, dum subdit, Childebertum accepisse denique monarchiam totius regni. Auctori nostro consentit Wassenburgius. Quæ, quâ vera sint, nescio. Certè constat sæpè Francos Veteres reges nostros, monarchiam in partes diuisam, liberis reliquisse.

**PIPINVS PRINCEPS.** Dictus vulgo in annalibus *Heristallius*. Principem nominat auctor, quod esset præfector prætorio, seu maior domus, vt apellabant, regiæ. Nam præfecti prætorio, et si subinde quidem duces, ferè tamen *principes*, post deuictum ab Heristallo Theodericum regem dici solebant. Quaquam & ante eam Heristallij victoriam idipsum *principis* nomen præfectoris prætorio attributum est. Itaque Carolus Heristallij filius, Pipinus item & Carolomannus, nepotes eius, quod maiores domus essent, passim in veterum annalibus *principes* nominantur, eorumque munus *principatus*.

**ACCEPTA DANIQVE MONARCHIA TOTIVS REGNI.** Si Childebertus confestim à Theoderici patris obitu, anno DCXC. vt veteres omnes auctores sunt, vniuersæ Franciæ dominatus est, tum monarchiam, quod hîc narratur, adeptus fit: at quadriennio serius, hoc est, anno DCXCIV. si post Chlodouæi demum fratri sui

mortem Neustriæ & Austrasiæ iunctim rex esse cœpit, quod scriptor  
actorum credidisse visus est.

DAGOBERTVM COMMENDAVIT NVTRI-  
TVM IRI REGINÆ RELIGIOSISSIMÆ BALTI-  
LDI.  
Obiit illa regnante Theoderico filio, isque ei fuit superstes, ut proditum  
in actis SS. Wandrigisili & Eligij. Quod si verum est, tradi in Balthildis  
auia sua disciplinam Dagobertus non potuit. Nam cum puer venerit  
ad regnum filius Balthildæ Chlodouæus III. multo magis necesse est,  
ut puerum fuerit Childebertus, Chlodouæi frater, natu (ut res postu-  
lat, & vt est in actis D. Eugendi) minor. Nondum ergo Childebertus  
Dagobertum tum generatiam habilem disciplinæ. Credibile est, cum  
Dagobertus in Calensi monasterio enutritus esset, hinc datum errori lo-  
cum, ut institutus crederetur ab auia Balthilde, quæ Calam instaurauit,  
& in coluit, ut infrâ dicam.

A VÆ SVÆ. *Ana* pro auia, mediæ ætatis barbaries usurpauit.  
Appendix perantiqua ad Isidori Hispalensis Chronicon, ipsi Isidoro  
suppar, de Brunichilde. *prefata regina, predictorum ana.*

IN CALA MONASTERIO. Est Cala vicus agri Parisiensis,  
quarto à Lutetiâ Lapide, ad fluum Matronam. Galli *Chelle* nuncupan-  
t. Ibi Chlotildis Chlodouei Primi coniux, cœnobium virginum,  
sub D. Georgij tutelâ, condidit. Postea Balthildis regina ita auxit, at-  
que exornauit, ut ipsa prima condidisse videatur. Nihil tamen luculen-  
tius ei cœnobio à Balthilde factum, quam quod ibi viduos annos inter  
Sacras Deo Virgines velo recta transfigere voluit, quod fecit Chlotario  
filio rege, qui anno DCLX. regnare occœpit, ut D. Audoenus Rhoto-  
magensis episcopus in libro de vitâ D. Eligij scripsit, quod & in acta D.  
Balthildis ab æquali relatum est.

Atque ut Dagobertus, ita & filius eius Theodericus Calæ educatus  
fuit. Scriptor synchronus. *Franci* verò *Tendericum* ad Cala monasterium  
enutritum, filium Dagoberti Iunioris, regem super se statuunt, qui usque nunc  
in regno subsistit. Erkambertus item æqualis. *Theoderichum* filium Tago-  
berti Iunioris *Franci* in regem sibi statuunt, qui nutritus in Cala monasterio  
erat.

EPHEBUS. Tum nimirum, dum ad Calam degeret. Nam po-  
stea, priusquam rex fieret, anno transcendit pueritia, & in robur migravit  
virile, ut suprà scribit auctor noster. Quod ergo tres soli, Dagoberto  
nostro



nostro multis tempestatibus posteriores, Ado Viennensis, Marianus Scotus, & incertus auctor fragmenti de maioribus domus, à P. Pithœo editus, tradunt, Dagobertum *puerum* regnare coepisse, aut in totum repudiandum est, aut ita leniendum, ut *puerum* pro adolescente, liberaliter eā voce vīsi, dixerint: aut certē, *puerum* fuisse tum, opinati sint, quod vulgō Dagobertus hic noster, ad discrimen Dagoberti Magni, *Iunior* ab antiquis appelletur: aut denique, quoniam Dagobertus noster à quibusdam; (ut à Sigeberto & Alberico.) Chlodouæus cognominatus est, confuderint eum cum Chlodouæo III. quem *puerum* venisse ad sceptra, indubium est.

Adde, quod Dagobertus noster quintum regni annum vix totum exegerit. Ut necesse sit, si *puer* regnare orsus est, non multò maiorem *puero* deceſſisse. Quæ ratio, quo pacto cum eo consentiat, quod Dagobertus ab antiquis, & vicinis ætati suæ auctoribus, scribitur Theodericū filium procreasse, non video.

**PER SEX DECIM ANNO RVM CURRI CVLA.**  
Childebertum anno uno amplius regnasse constat. Sed quia non totos septemdecim annos regnauit, hinc totos tantum & integros noster adnumerauit. Auctor Theoderico Iuniori ætate par. *Tunc enim beata memoria Childebertus rex iustus migravit ad Dominum. Regnauit autem annus XVII. sepultusque est Cauciago<sup>\*Canago</sup> monasterio in basilica S. Stephani martyris.*

**IN NUMERIS POLELENS TRIMPHIS.** Childeberto rege victus Ratbodus Frisorum dux: bellatum prosperè cum Alemaniis.

**SIC AMBRIA.** Sicambi Germanici trans Rhenum populi, à Francis sedibus pulsi, ut locum, ita & nomen victoribus cesserunt. Vnde Chlodouæus Magnus, & Charibertus, Francorum reges, dicti *Sicambi*, & Francia, etiam Gallica illa, sæpe ab ætatis mediæ scriptoribus, appellata est *Sicambria*.

**VIR ILLVS TRISSIME.** Prisci reges nostri viros se *inlustres* inscribere, maximi tituli loco habuerunt; quod à Romanis tractum, quibus titulorum apex *illustratus* erat, proxima *spectabilitas*, tertius *clarissimus*, postremus *perfetissimus*.

**SVORVM MAIOKVM.** Procerum regni: In legibus Burgundicis, *maiores personæ*, appellantur: in capitulis Caroli Magni, *homines boni generis*.

**I**N DICIBILEM QVI BTIS PACE M. Dempto postremo Dagoberti regis anno, quo ciuale bellum inter Francos Neustrios & Austrasios fuit.

**C**ANVM AVIVM QVE EXVLTABAT LVS IBVS; venatione & aucupio. Othlonus libro Iactorum D. Bonifatij, capite XLI V. inter capita, quæ Bonifatius Gewiliebo episcopo obijciebat: proprijs oculis se perspexisse illum, cum auibus canibusque ludentem; Serarius edidit, jocantem.

**L**ANDONE. Fuit Lando Rhemorum archiepiscopus, Sigiberto, Dagoberti Magni filio, æqualis, cui Niuardus, & Reolus, ac Rigobertus successere. Nec alius est in elenchis vulgatis Rhemensium episcoporum Lando. Ex actis tamen D. Rigoberti, satis appetet, inter Reolum & Rigobertum, interregnum fuisse & hiatum, cui inserendum fortasse hic erit Lando.

**R**EDITVS. Agros. Effectus pro causâ metropolitana.

**E**IVS QVE COMPLICIBVS, Rustico & Eleutherio, qui cum D. Dionysio martyrium fecerunt.

**V**ILLAM IN PAGO CAMERACENSI NVNC VPATAM BRAGNA M. Interrogati à me peritissimi Camaracenses topographi, nullam hactenus suæ ditionis villam Bragnam ostendere potuerunt. Est quidem in diœcesi Camaracensi haud procul ab oppido Roeuxio, viculus Braquenie, vel Bracqnie, vel Bracqny, paroeciæ Streensis. Est & Brania Comitis (*Braine le Comte*) in comitatu Hannoniæ, Hallas inter & Sonegias, in diœcesi Camaracensi. Sed an hi vici, aut si qui alij eiusdem nominis in diœcesi Camaracensi habentur, sint villa nostra Bragna Cameracensis pagi, ego statuere non ausim, etsi satis scio, solere interdum à veteribus diœceses appellari pagos. Ita Gaufridus libro IV. actorum D. Bernardi pagum Treuirensem pro Diœcesi Treuirense posuit. In pago Treuirense, inquit, antiquum erat cœnobium, quod Rutilense vocatur. Est Rutila nobile quondam patrum Benedictinorum cœnobium (nunc Carthusianenses tenent) Mosellæ haud longe Sirkâ, octo ferme supra Treuiros leucis impositum. Intercurrebant autem olim Treuiros & Rutilam inter, pagi Bedensis & Nidensis partes. Adeo ut Rutila, Treuirense pagi finibus exclusa, non nisi alienæ significationis vocabulo Treuircensis pagi cœnobium dicta sit.

**E**CCLESIARVM ET SACERDOTVM MAGNVS DI-  
TATOR.



TATOR. Memorabile Dagoberti opus est, fundata Erfesfordiæ D. Petri basilica. Tabulas eius rei signauerunt, *Pipinus maior domus, & filius eius Carolus. Moguntinus episcopus Rigebertus, Gunthramnus, Paganus comes, Eckebe comes, & omnis ecclesia in Thuringiâ, & circa Rhenum in Mo-* \* Lege guntiâ. Tandem additum : *acta sunt hac anno Dominice incarnationis DCC.*  
*DCCVI. \* indictione IX.* Eodem anno \* Lambertus Schaffnaburgen- XI. Id e. sis. Initium monasterij S. Petri in Erphesphurt, quod construxit Tagebertus nim pos- rex Francorum in monte, qui antea Mei uvigisburg vocabatur, sed ab ipso cit indi- Tageberto, mons S. Petri nuncupatus est, & omnia quæ habuit in Thuringiâ, certior. ad eum locum dedit, monitu Trutmanni solitarij. Plura de his in appendice \* Sed non Lamberti, & in Dagoberto Magno Coccij nostri, capite XX. recte.

Quid verò à Dagoberto Rigebertus Remorum episcopus acceperit, ita ex tabulis prodit Flodoardus historiæ Remensis libro II. capite XI. A Dagoberto denique rege, præceptum immunitatis sua obtinuit ecclesia, suggerens eidem regi, qualiter ipsa ecclesia sub præcedentibus Francorum regibus, a tempore domini Remigij & Clodonei regis, quem ipse baptizanit, ab omni functionum publicarum iugo liberrima semper exiterit. Qui præfatus rex hoc beneficium confirmare, vel innouare disponens, cum consilio procerum suorum statuit, ad prædecessorum formam regum, præcipiens, ut omnes ipsius sanctæ Dei ecclesiæ res, tam in Campaniâ, & infra urbem vel suburbanis, quam in Austrasiâ, seu Neustriâ, vel Burgundia, seu parribus Massiliâ, in Rodonico etiam, Gaualitano, Aruernico, Turonico, Pictanico, Lemouicino, vel ubique in infra regna eius ipsa Remensis ecclesia, vel basilica beatissimi Remigij, vilas aut homines habere videbatur, sub integrâ immunitate omni tempore possent manere. Sic quoque, ut nullus index publicus in ipsas terras auderet ingredi, ut mansiones intrando ficeret, aut qualibet iudicia vel Xenia ibidem exigere vllatenus præsumeret: sed quodcumque à prædecessoribus suis regibus ecclesia Remensi, vel basilica sancti Remigij fuerat concessum, cunctis diebus eadem ecclesia valeret habere conseruatum.

Vetustissimus item codex cœnobij D. Arnulfi Diuoduri Mediomaticorum, Paulo Diacono olim cognitus, Dagobertum nostrum inter eius cœnobij benefactores enumerat; dato quippe fundo Nauis, \* vt \* Navis est in tabulis Callisti II. P.P. apud Walladierum, in librō, quem Augustam basilicam D. Arnulfi inscripsit.

Stabulaus item celeberrimum in Arduennâ monasterium, inter conditores Dagobertum nostrum reponit. Ita enim in tabulis Othonis II. quas anno DCCCCCLXXX. ad Rauengerum abbatem edidit. Postu- lanit,

lauit, quatenus secundum prædecessorum nostrorum morem, id est, Sigiberti, Hildrici, Clodouei, & Dagoberti regum, qui & eorundem fuere monasteriorum constructores. Litteræ item Gregorij V. datæ anno, DCCCCLXXXVJ. ad Werinfridum abbatem: quia iusta vija est nobis petitio tua, assensum tibi præbemus per hoc nostre priuilegijs constitutum, & roboramus apostolicā auctoritate, atque decernimus secundum antiquorum edicta regum, id est, Sigiberti, Clodouei, & Dagoberti, qui & eorundem constructores fuere monasteriorum. In tabulis item Henrici imperatoris, cognomento Nigris, quas anno MXL. Stabulai edidit: monasterij Stabulai sub nostra ditione siti consecrationi praesentes, id obtinente apud nostram celitudinem abbatis eiusdem loci, scilicet Popponis, reuerentia, petente eodem abbate, iuxta antiquorum regum Sigiberti, Hilderici, Clodouai, Dagoberti, qui constructores fuerunt prefati Loci. Eadem sunt in tabulis filij eius Henrici, factis anno MLXV. Litteris vero Leonis IX. pontificis maximi, scriptis anno XLIX. proditur Dagobertus, quæ Sigibertus, primus conditor, Stabulao donauerat, rata habuisse. Exstant eâ de re Dagoberti tabulæ ad Goduinum IV. Stabulensium abbatem, quarum exemplum ex vetusto apographo descriptum, mecum communicauit humanissimus, idemque liberarii judicij vir, Benedictus Delle Riue, cœnobita Stabulensis, & archij præfectus, quas, priusquam apponam, moneo aduertendum ad id, quod Dagobertus suum genitorem vocat Sigibertum, qui atavi eius Chlodouæ fuit frater. Genitor enim hic positum, non pro eo, quod est pater, sed pro gentis & generis uno aliquo capite. Quam loquendi normam, in hisce tabulis cum primum vidi, oppidò sum gauisus, ob tabulas quasdam Caroli Crassi, quibus sancit, quæ olim condendâ basilicâ Franconofurtensi D. Salvatoris (nunc est D. Bartholomæi) Pipinus rex, atavus eius, contulerat. In iis quippe tabulis ita Crassus: piissimus genitor noster Pipinus; & iterum, pius genitor noster Pipinus; quæ cum mendosa haec tenus censem, nunc intelligo, sincera, & proba esse, & huic ætati placuisse, ita genitoris voce vti, ut eâ subinde progenitorum ac maiorum aliquem significaret. Nunc tabulas accipe.

*Exemplar præcepti Dagoberti regis Iunioris de  
Villâ Germiniaco, dati domno Goduino  
abbati.*

DAGO-



**D**Agobertus rex Franchorum, illuster Vir. Illud nobis ad stabilitatem regni in Dei nomine prouenire confidimus, si facta domni & genitoris nostri Sigiberti quondam regis, pro nostris oraculis in Dei nomine firmare deliberamus. Atque ideo vir venerabilis Goduinus abba de monasterio Stab. & Malmund. clementiae regni nostri suggestit, eò quod dominus & genitor noster Sigibertus rex, S. Remaclo ex villâ cognominante Germiniacô, \* in pago\* Germinij Remense, ad supra scripta monasteria, quæ sunt in Arduennâ, quæ ipse princeps suo opere construxit, ipsa Villa Germiniacum, cum omni integritate, appenditijs suis pertinentibus ad se, id sunt, molendini duo sub uno tecto, Cumaria super fluui Suppia, Vineain Beterio cum Vineatore, hoc totum & ad integrum ad ipsa monasteria, quæ sunt in honore patronorum nostrorum S. Petri & Pauli & S. Martini vel sanctorum ceterorum, qui ibidem ad ipsa loca venerari noscuntur, per suam præceptionem concessisset; unde & ipsam præceptionem memoratus vir venerabilis Goduinus abba, suis etiam manibus roboratum, nobis in praesenti protulit relegendam, & assurit, quod pars ipsius monasterij ipsam rem superius intimatam, tempore praesenti possidere, vel dominari videatur: Sed rei totius firmitate nostram se petit ut plenus \* ex hoc ad supra- scripta monasteria per nostram præceptionem in Dei nomine confirmare debe- remus; cuius petitionem, sicut uniuicue iusta potentibus, prestitisse & in o- mnibus confirmasse cognoscite. Præcipientes enim, ut, sicut constat per inspe- Etiam præceptionem iam dicto principe, ipsa villa superius intimata cum omni integritate & soliditate sua, terminum adeandem, vel ipsa fornaria, seu vinea cum vineatore, taliter per suam præceptionem ad ipsa loca sanctorum visus est concessisse, & hoc ad praesens, pares ipsius monasterij possedisse vel dominari vi- dentur, ita deinceps per hanc præceptionem nostram tam terris, casis, mansis, manuipis, edificijs, & vineis, campis, pratis, silvis, cultis & incultis, aquis, a- quarumque decursibus, plenus in Dei nomine confirmatum, ita ut pares prædi- El monasterij hoc habeant, teneant, atque possideant, & ipso Goduinus successo- resque sui per hennis temporibus hoc valeant possidere vel dominari, qui potius monachis, qui ibidem ad ipsa monasteria deseruire videntur, vel pauperes qui ad ipsa loca sanctorum alimonia exportantur, melius delectorum, \* pro stabili- \* Forte de- tate regni nostri Domini misericordiam adtentius exorare. Et ut hac præcep- lectet. tio pleniorem obtineat Dei nomine nostris & futuris auxiliante Deo tempori- bus vigorem, manus nostraræ subscriptionibus subter eam decreuimus adfirmare.

KALENDIS MARTII. Eâ namque die Francicus quondam po-  
pulus in concilia coibat, Annales Metenses, de Pipino Heristallio: fin-

G

gulis

gulis annis, in Kalendis Martij, generale cum omnibus Francis, secundum priscorum consuetudinem, concilium agebat. Auctor antiquus sub nomine Fredegarij à Marquardo Frehero editus, ad annum DCGLV. de Pipino rege: Euoluto anno (quem vetus Gallia à Kalendis Martijs auspiciabatur) à Kalendis Martij, omnes Francos (sicut mos Francorum est) in Bernaco villâ publicâ ad se venire præcepit, initoque concilio cum proceribus, &c.

**S Y N O D U M C V M O M N I B V S F R A N C I S I N C I-  
V I T A T E R O T O M A G E N S I A D V N A R E P R A C E P I T.**  
Anno DCLXXXII. habita est Rothomagi synodus, ut auctor est Aigranus in actis D. Ansberti Rothomagensis episcopi. Sed ab illâ, hæc diuersa est. In illâ quidem tabulæ editæ immunitatis cœnobij Fontanelensis: in hâc verò lis acta de monasterio Floriacensi.

Fontanellense porrò cœnوبium, ita ab amne, cui accubat, appellatum, condidit D. Wandrigisilus, ope Erkenualdi prætorio præfecti, est que situm in territorio Rothomagenſi, distans à memorata urbe milibus fermè decem, ut æqualis D. Wandrigisilo in eiusdem acta retulit.

**H V G O F I L I V S D R O G O N I S.** De Hugone insignis est locus in annalibus Metensibus ad annum DCXCIII. Pipinus Drogonem primogenitum suum (secundo genitus erat Grimoaldus, vterque ex Bilitrude) ducem posuit Burgundionum, tradens sibi uxorem Austrudem filiam VVaratonis, quondam illustris maioris domus, derelictam Bertarij, qui de Textriciaco prælio, ut superius, retulimus, ausfugerat, nec multo post a suis interfectus interierat. Hæc Drogoni peperit filium, quem vocavit Hugonem. Hunc religiosa & strenua Ansfredis amia sua, relicta vxor siquidem VVaratonis, ad nutriendum susceperebat. Hæc igitur prudentia ac prouida industria spiritu plena, animum pueri cottidianis ammonitionibus corroborabat, ut se se cum omnibus, que habebat, Dei seruitio manciparet. Unde factum est, ut sacrarum litterarum studio imbutus, cunctos suos sapientia & religione anteiret. Secundumque sanctam suggestionem præclare nutricis sue, cœpit terrena cuncta desplicere, & ad regna celestia viriliter anhelare.

Sunt eiusdem Hugonis tabulæ, Sub die octauo Kalendas Iulij, anno V.  
regni Domini Dagoberti regis, quibus ipse Hugo ita de se: Nos in Dei nomine Hugo, Sacerdos humilis, & germanus meus, illuster vir, Arnulfus dux, nec non Pipinus & Godefridus, dum contigit, ut genitor noster, illuster vir, Drogo, quondam de hac luce migraret, nostra fuit petitio, ad venerabilem virum

Luithe-



*Luitbertum abbatem de basilicâ SS. Apostolorum, quæ est foris murum Mer-  
tis ciuitate constructa, ubi annus noster dominus Arnulfus in corpore requies-  
cit, ut ibidem iam dictum genitorem nostrum Drogonem sepelire deberemus.  
Tandem tabulas ita signat: Hugo et si peccator, sacerdos, hanc delegationem  
sive testamentum a me factum firmavi.*

Idem Hugo iam ante anno X. Childeberti regis, patris Dagoberti no-  
stri, ex tabulis Arnulfi fratris sui, intelligitur ad D. Arnulfi basilicam se-  
pulchro locum, exemplo maiorum designasse. Walladierius in *Augu-  
stâ Basilicâ*, vrasque tabulas Gallicè protulit, & posteriorum quidem  
autographum, ait esse corticem arboris, stylo exarata. Ambas Latinè  
edidit Meurissius episcopus Madaurensis, in historiâ pontificum Medio-  
matricensium, quibus Hugo perpetuò *Sacerdos* inscribitur, non abbas;  
Nimirum ex disciplinâ illius seculi, quod honoris dignitatisque voca-  
bula sâpe præterebat; Ita Alchwinus abbas, *humilem se levitam* fermè  
nuncupauit. Ita in plurimis Caroli Magni & Ludouici, F. eius, tabulis,  
Rado, cœnobij D. Vedasti, Fridugifus, D. Martini, Hélisachar, D. Maxi-  
mini ad Treuiros, aliquique illorum temporum abbates, nomen, sine dig-  
nitatis titulo, scripserunt.

Ex testatissimis porrò actis Diuorum Wandrigisili, Ansberti, Wul-  
frani, Audoëni, & Hermelandi, hæc primorum Fontanellæ abbatum  
est series.

Wandrigisilus, seu Wando.

Lantbertus, episcopus Lugdunensis.

Ansbertus, episcopus Rothomagensis.

Hildebertus.

Ostrulfus.

Bainus, Morinorum episcopus.

His alicubi inferendus est alter Wando, quem, vt & Ostrulfum, præ-  
termisit Cladius Robertus; subdit autem Baino Benignum, anno  
DCCVII. Benigno Hugonem, anno DCCXXIII. defunctum.

Probabile est, Hugonem, quod duobus simul cœnobij præfesset, cle-  
ricum fuisse, non monachum. Neque enim hac tempestate duo possi-  
dere monasteria monachis licuisse, acutè perspexit Rouerius noster in  
Reomao, Appollinare abbatæ.

RECLAMANS SE. Rem in iudicium deducens. Capitula Caro-  
li Magni, incerti anni & loci. De clamatoribus, vel causidicis, quod nec iu-  
dicium scabinorum ad quiescere, nec blasphemare volunt, antiqua consuetudo

seruetur, id est, ut in custodiâ reclaudantur, donec unum è duobus faciant, & si ad palatium pro hac re clamauerint, & literas detulerint, non quidem eis creditatur, nec tamen in carcere ponantur, sed cum custodiâ & cum ipsis literis pariter ad palatium nostrum remittantur, & ibi discussiantur, sicut digni sunt. Item in capitulari eiusdem, quod anno regni XXI. edidit: Ut episcopus, vel quilibet ex clero, sine consilio vel litteris episcoporum vel metropolitani, non audeant ad regalem dignitatem pro suis causis clamare, sed in communis episcoporum concilio causa eius examinetur. Item capitulare aliud eiusdem. Hoc missi nostri faciant comitibus, quod nos in omni hebdomadâ unum diem ad causas audiendas sedere volumus. Comites autem & missi nostri, magnum studium habeant, ne forte propter eorum negligentias, pauperes crucientur, & nos tedium propter eorum clamores patiamur, si nostram gratiam habere velint. Populo autem dicatur, ut caneat de alijs causis se ad nos reclamare, nisi de quibus aut missi nostri, aut comites iustitiam facere noluerunt.

**D E F L O R I A C O M O N A S T E R I O Q V O D A V V S  
ILLIVS D V X P I P I N V S A D I F I C A V I T.** Floriacum celebre ad Ligerim in Aurelianensi prouincia cœnobium, Chlodoueo Secundo rege, condidit Leodebaudus abbas, vt est in actis D. Aigusti Lirinensis abbatis, & apud Aimoinum ab Andreâ Duchesnio editum, & in primis in ipsiusmet Leodebaudi tabulis, quas historiæ suæ quondam præfixit Helgaudus Floriacensis.

Ab isto maximi nominis Floriacensi cœnobia, aliud videtur esse atque diuersum Floriacum, de quo hic acta; conditum nimirum, non à Leodebaudo, sed à Pipino Heristallio, regisque Childeberti tabulis assertum Fontanellensi monasterio; cuius ditioni plurima olim alia cœnobia suberant, vt obseruat Antonius Yepezius. Atque ex his monasteriis Floriacum unum aliquod fortasse fuisse, opinari possumus. Dici tamen etiam potest, Pipinum, quia instaurauerit Floriacum illud celebre, id circò pro conditore habitum.

**H I L D E R I C V S M A I O R D O M V S.** Hunc annales reticent. Dagoberto regi maiores domus fuerunt Pipinus Heristallius, eiusque filius Grimoaldus. Cui anno DCCXIV. imperfecto, subrogatus est à Pipino Theodoualdus Grimoaldi filius, sed puer admodum; moxque Pipinus obiit. Interim Bilitrudis, vxor Pipini relicta, cum Theodoualdo, rei summag capessiuit. Sed indignè imperium eius tulere Neustrij, adeò, vt bellum Theodoualdo indixerint, & in Cotiâ siluâ prælio victum fugatumque, repudiauerint, eiusque loco maiorem domus creauerint Regin-

ginfredum. Credibile est autem tum, cum Neustrija à Theodoualdo auersi essent, Hildericum hunc apud eos pro maiore domus interim fuisse, & exercitum in Austrasios duxisse, donec eo fortè in prælio interempto, Raginfredum eligerent.

Potuit etiam forte hic Hildericus honorarium gessisse maioris domus titulum, velut gessisse videtur Radobertus, qui Chlodouei Iunioris regis tabulas, exaratas in cortice, ita signauit : Radobertus maior domus S. Gessisse verò Radobertum honorarium tantum magistratum, inde intelligi videtur, quod Chlodouei regnum totum, alios non habuit maiores domus, quam Egam, Erkonualdum, & Pipinum; nullum Radobertum. Tabulas porro Chlodouei profert Doubletius Libro III. antiquatum cœnobij D. Dionysij, capite IV.

Alius quoque explicandi modus est, si Childericum hunc, maiorem domus Burgundiæ, vel Aquitaniæ fuisse dicas. Habuerunt enim istæ prouinciæ suos quoque maiores domus, distinctos à maioribus domus Austrasij & Neustriæ, quos solos, ut primarios, antiqui, qui de maioribus domus scripserunt, percensent.

**I N I V S T E A V F E R E N S.** Forte Hildericus beneficiario iurisibi Floriacense monasterium vendicabat. Ita quippe intellexisse videtur auctor hymni, dum ait, *de feodo discepratum.*

**P O N T I F E X W I L L I B R O R D V S.** Is iam inde ab anno DCXC. in Frisijs fementem rectæ religionis spargere cœperat.

**F R E S I A N O R V M F I N E S P E N E T R A R E T.** Gemina per hoc tempus erat Frisia, vna Christianorum, gentilium altera. Illa post Pipini Heristallij de Ratbodo victoriam (de quâ mox) Francis parabat: huic dominabatur Ratbodus; sed in istam hostiliter irruperat, ut postea ex Willibaldo memorabitur. utramque discriminabat fluuius *Lagbecki.*

Hic porrò utriusque Frisiæ limitaneus amnis, *Lagbecki*, non est Lycus, quem modo Leccam vulgus appellat. Ita enim sribit Lutgerus in actis DD. Bonifatij & Gregorij: *Gregorius Traiectum* (quod & *Viltaburg*, modo *Ultraiectum*) antiquam ciuitatem, & vicum famosum Dorstad, cum illâ in radianit parte Fresonie, qua tunc temporis Christianitatis nomine censetur. Idem usque in ripam occidentalis fluminis, quod dicitur *Lagbecki*, ubi confinium erat Christianorum Fresonum ac paganorum, cunctis diebus Pipini regis. Docet hic locus, fluuij *Lagbecki* latus unum, fuisse occidentale

Frisiæ Christianæ, in quâ Dorestatum. At nulla fluminis Lyci ripa, occidentalis eidem Frisiæ est, sed vel vna meridionalis exterior, vel altera septentrionalis interior. Denique Lycus, recto cursu Zelandiæ ostiaria petens, Bataviam & veteres Frisias tam Christianam quam paganæ partem, perpetuo sinistro littore præradit. Vnde cum utriusque Frisiæ medius limes esse non potuerit, relinquitur, ut negandum sit, Lycum eum esse fluuium, quem Lutgerus *Lagbecki* appellauit. Si vero quæritur quis sit igitur Lutgero fluuius ille *Lagbecki*; malim ego alieni quam mei esse arbitrij, an non Lauica, quem ore patrio Lauuam accolæ nuncupant, sit *Lagbecki* ille noster. certè nomen non multum abhorret; sed neque res longè discrepat. Lauica quippe, qui modò sinuosus & diuertijs multiplex per Frisiam occiduam labens, Snecam, Leuwardiam, Franickeram, Harlingam ciuitates alluit, eandem Frisiam in *VVestergaam* & *Ostergaam*, hoc est, in occidentalem & orientalem discriminat. *VVestergoa*, Hollandiam, *Ostergoa* Groningensem agrum respicit; adeo ut ad *VVestergaam* conuersum Lauicæ littus, ripa illa occidentalis *Lagbecki* fluminis esse videri possit. De Frisiâ porrò Christianâ accipiendus scriptor noster.

**A D F I D E M C H R I S T I , A Q V O D E V I A V E R A N T .**  
Willibaldus capite. IV. Libri de vitâ D. Bonifatij ita Ratbodi impij ducis irruptionem in Christianorum fines describit: maximaque pars ecclesiistarum Christi, qua Francorum prius in Fresia subiecta erant imperio, Ratbodi incumbente persecuzione, & seruorum Dei factâ expulsione, vastata erat ac destructa, idolorum quoque cultura, exstructis delubrorum fanis, lugubriter renouata. Ut appareat, Ratbodus, anno DCXCII. victum, postea iterum Frisiam sibi creptam inuasisse, eique tamdiu incubuisse, donec in miserabilem illum statum eam deiiceret, facile relabentibus barbaris ad genticarum religionum cultum, à quo hactenus Willibrordus, Switbertus, aliquique viri sancti errantes auocauerant.

**I N P A G O L O M A Q E N S I .** Namurco vicina regio, inter Sabim ferè & Mosam diffusa, notissima Belgij nostri litteratis.

**I N V I L L A Q V A E D I C I T V R B E V E R N A .** Rogati de hâc villâ amplissimi Canonici D. Gereonis, nihil respondere potuerunt, quod tabularium eorum incendio absumptum sit. Felicius quæsumus à Claudio Dorchinfangio, theologo nostro, qui in Namurensi agro locum inuenit Biene, ad fluuiolum, qui Ogniaci Sabim influit, situm inter

inter duos vicos, quibus Gogny nomen. Incolæ modò corruptè, vt omnia corruptit vulgus & ætum; Bieme nuncupant. Sed quod addunt, *la Colonoise*, hoc est, Colonensis, planè locum *Beuernam* nobis liquido demonstrant. Vt & illud, quod constat hæsisse templo parœtiæ Biemensis facellum D. Seuerini Colonensis episcopi, à comitibus Namurenibus olim dotatum, sed modò dirutum.

**S. GEREONI.** Gereon ex Thebæâ legione dux, cum commilito-nibus, Coloniæ Agrippinæ, anno CCLXXXVI. martyrium fecit, basili-câ peruetustâ ibi honoratus.

**CVNIBERTVS ET SEVERINV S.** Celeberrimi duo, sanctissimique Agrippinenses episcopi, hic D. Martino Turonensi, ille Dagoberto Magno, filioque eius Chlodouæo, æqualis.

**PRINCIPI APOSTOLORVM PETRO ET GEREONI.** D. Petro basilicam Coloniæ Agrippinæ posuit D. Maternus, primus eius urbis episcopus, vt prodit Harigerus. Fuit autem hæc basilica ceterarum Agrippinensium caput, iam anno DCCCLIII. quo Lotharius imperator tabulis publicis eam matrem ecclesiam nuncupauit, eiusque ditionis esse memorat monasterium martyris Christi Gereonis, & sociorum eius, sed & monasterium beatarum Virginum, necnon & ecclesiam S. Pantaleonis, quæ ad thesaurum & luminaria eiusdem matris ecclesia pertinere dignoscitur. Recte itaque Diuis Petro & Gereoni in medium redi iubetur, quod præcipuum D. Gereonis erat.

**POST HÆC.** Exigit locus, vt ciuilia bella, quæ Pipino Heristallio mortuo Francos agitârunt, à fontibus repetamus.

Theodericus rex, Dagoberti nostri avus, præfectos prætorio ordine in Neustriâ habuit Ebroinum, Ghislemarum, Bertharium, homines impotenter dominatione vtentes; quos dum Neustriâ non ferunt, ad Pipinum Heristallium, Austrasiæ prætorio præfectum, haud semel animos fœderaque inclinauerunt. Pipinus haud segnis occasionum, arma in Neustriæ prætorio præfectos regemque Theodericum mouit, donec victoriâ magnâ potitus ad Textricum in Veromanduis, Theodericum regem ditionis suæ fecit, relicto tamen ei regno, sed velut precario, additoque Norberto prætorij in Neustriâ præfecto. Ipse interim regiâ potestate Francis imperauit; vnde & Metensium annalium scriptor, titulum ei principatus singularis super Theodericum attribuit. Atque exinde Francorum reges penè infra præfectorum prætorij potentiam strati iacerunt.

Theo-

Theoderico autem mortuo, reges facti sunt, primū filius, eius Chlodouæus, deindè filius eius alter Childebertus, cui Pipinus, mortuo in Neustriâ Norberto, Grimoaldum filium suum natu minorem, præfectum prætorio addidit, quo & Dagobertus ab obitu Childeberti patris est vsus. At cæso Grimoaldo, Pipinus Theodeualdum puerum, eius filium, suffecit, moxque anno DCCXIV. desinente, mortuus est, relicto filio notho ex Alpaide concubinâ, Carolo. Hunc Bilitrudis Pipini relicta coniux exosa, confessim habuit in custodiâ, ipsa cum Theodoualdo moderatura imperium. Hic Neustriâ locum sibi datum rati excutiendæ Pipini stirpis potentiaz, arma in Theodoualdum sumpcrâ, quem eodem, aut sequenti potius anno DCCXV. in siluâ Cotiâ, haud longè Compendio, prælio victum, in fugam egere, moxque creato Raginfredo Neustriæ prætorij præfecto, superatâ siluâ Carbonariâ (vbi modo Haynonum sedes) ad Mosam usque arma protulere, icto etiam cum Rathodo Frisiorum duce fædere. Cui Neustriorum expeditioni adfuisse Dagobertum nostrum, per obscurè intelligi videtur ex chronico, quod Duchesnio Moisiacense appellare placuit. Franci denuo in Cottia siluâ contrâ Theodaldum & Austrasios irruunt, ac se se mutuò dirissimâ cæde prosterunt. Theodaldus autem per fugam lapsus, ereptus est. Ipsò quoque fugato, Raginfredum maiorem domus elegerunt. Regis Dagoberti exercitu Carbonariam siluam transeuntes, usque Mosam fluum, terram siluasque vastantes, succenderunt. Cum Rathodo duce gentili amicitias feriunt. Sed annales antiquiores, scripti Carolo Magno imperatore, aperte Dagobertum ei expeditioni adfuisse memorant. Franci denuo in Cociâ siluâ contrâ Theodaldum vel Austrasios irruunt, ac se se mutuò dirissimâ cæde prosterunt. Theodaldus autem per fugam lapsus, ereptus est. Ipsoque fugato, Raginfredum maiorem domus elegerunt. Qui commoto cum rege Dagoberto exercitu, Carbonariam siluam transeuntes, usque Mosam fluum terras siluasque vastantes succenderunt, cum Rathodo duce gentile, amicitias feriunt.

Inter hæc Carolus erupit è custodiâ: de quâ re ita scribit Theodericus Epternacensis, qui sub annum MCXCII. diplomata omnia suæ domus in librum unum, quem aureum vocant, contulit, interpositis non nunquam regum atque imperatorum rebus gestis, quas ex antiquis annalibus defuspsit. Carolus post IIII. menses de captivitate, quam Aquigrani \* passus est, Dei permissione liberatus, collecto per Ribuarium (regio est inter Rhenum Mosam ac Mosellam) exercitu ut erat acer ingenio, & ad captan-

\*Hoc a-  
lius vete-  
rum nemo  
tradit.



*captandum populi suorum instructissimus, in principatum alterius partis est  
proiectus. Post hæc Ratbodus mense Julio, potius, ut Ado Viennensis,  
quam mense Martio, ut annales, quos Pithocus primum edidit, aggressus  
cum eo pugnat.*

Nec alia in Frisia viuo Dagoberto suscepta expeditio est. Oportuit itaque Dagobertum Neustrasiorum partes deseruisse; tum nimirum, cum Carolus è custodiâ elabens, passim vbiique summo omnium plausu (ut proditum in annalibus Metensibus) susceptus est. Deserendi autem Neustrasios, & ad Carolum transcundi, grauis, ac Dagoberto quidem à puero sanctissimè instituto, vehemens erat causa, quod Neustrasij cum Ratbodo Christianorum acerrimo hoste fœdus pepigissent. Nec dubium, quin Willibrordi, summi eâ tempestate viri, inuitantis, & misericordiam Frisiae Christianæ statum exponentis auctoritas, plurimum ad perliciendum in illas partes Dagobertum valuerit.

Excogitari & alia causa potest, cur à Neustrasij ad Austrasios Dagobertus transferit. Constat veterum omnium fide, Neustrasios, mortuo Dagoberto non unum ex filijs eius (quos Ioannes à Leidis, non nouus auctor, pulsos ab iisdem Neustrasij scripsit) sed Danielem quendam, imposito ei Chilperici nomine, regem creauisse. Cuius rei causa si porrò queritur, facile è deuenitur, ut dicendum sit, fuisse aliiquid in Dagoberto, quod Neustrasios offenderet. Et tradit Philippus Bergomas (nec ipse scriptor recens) Dagobertum à Raginfredo coactum in expeditionem aduersus Austrasios per siluam Carbonariam vñ secum ire. Si iuit coactus, docet nos vtique id argumentum, Dagobertum, nec fuisse propensum in Neustrasios, nec auersum ab Austrasij. Quin imò sunt auctores memoria paullò recentioris, qui aut ex vetustis libris, aut certè ex probabili obseruatione sua scribant, coluisse inuicem amicitiam Dagobertum & Carolum Martellum, qui post hæc bella ciuilia, filium Dagoberti Theodericum, ut legitimum heredem, regem creauit. Ut apparet tandem Dagobertum, quod à Neustrasij & Raginfredo esset alienus, inclinaretque ad Austrasios & Martellum, eam ob rem illis relictis, ad hos transiisse.

**D E V E C T U S N A V I G I O.** Si vnde, & quo Dagobertus discesserit, attenderimus, apparebit, ex Lomacensi pago, vicinum Mosam conscenisse, & deportato secundo flumine exercitu, Wahalim intrâsse, inde itinere terrestri per Batauiam Dorestatum peruenisse.

**D O R I S T A T U S.** Hodie Wick te dure stede ad Lycum fluum; quam  
H yrbum

vrbem olim in Frisiâ Christianâ contentam, anteâ ostendimus. Eam Pi-  
pinus Heristallius, victo Ratbodo, vnâ cum occidentali Frisiâ ditionis  
suâ fecerat, vt Fredegarius scribit, produntque annales Metenses. Quid  
porrò Dorestati in Christianâ religione promouendâ egerint DD. Wil-  
libordus & Switbertus, ita in huius actis (quæ tamen interpolata) pro-  
ditum: presbyteros & diaconos ordinauerunt, qui eos in verbo fidei & mini-  
sterio baptizandi adiuuarent, maximè in magno vico Durstat, in quo per bien-  
nium prædicantes, totum populum ad fidem perduxerunt Christi, ac fana ido-  
lorum commutantes in ecclesiâ Christi, quinquaginta duas dedicârunt ecclie-  
sias parochiales in eo.

B A C U L U M S V V M Q V E M M A N V T E N E B A T.  
Auctor hymni, sceptrum interpretatus est.

BONIFATIVS. Hic est magnus ille Moguntiacensis episcopus &  
martyr, de cuius in Frisiâ aduentu, hæc memoriam prodidit Willibal-  
dus, discipulus eius, capite IV. libri de vitâ eiusdem. Non multo transacto  
postliminio, nautarum nauiter nauis quidam epibata, consentiente nauclero,  
aggressus est nauem, nautoque impenso, prospero ventorum flatu peruenit ad  
Dorstat, ibique aliquamdiu commoratus, debetum Domino Deo exsoluit die  
noctuque praconium. Sed quoniam graui ingruente paganorum impetu, ho-  
stilis exorta dissensio inter Karolum, principem gloriosumque ducem Franco-  
rum, & Ratbodus regem Fresorum, populos ex utrâque parte perturbabat,  
maximaque pars ecclesiarum Christi, quæ Francorum prius in Frisiâ subiectæ  
erant imperio, Karbodi incumbente persecuzione, ac seruorum Dei factâ expul-  
sione, vastata erat ac destrueta, idolorum quoque cultura exstructis delubro-  
rum fanis, lugubriter renouata, tunc vir Dei prospectâ perueritatis nequitia,  
peruenit ad Trechit, ibique aliquantis exspectatis diebus, aduenientem regem  
Ratbodus allocutus est, & multis illarum circumuallatis ac conspectis par-  
tibus, utrum sibi in futurum prædicationis uspiam patesceret locus, perquire-  
ret, proponensque animo, ut si quâ in parte huius populi euangelium aditus,  
quo claresceret, & verbi Dei semina ministraret.

Necdum autem Bonifatio Latinum hoc erat nomen, sed posteâ de-  
mum Romæ à Leone PP. id datum est, cum hactenus nomen ei esset pa-  
trium, *VVinfido*.

REGIS ARCHICAPELLANVS. Archicapellanorum in palatio  
munus sumimum fuit, idque fermè obierunt episcopi. Erant autem ar-  
chicapellani caput cleri palatini, &, vt palatini comites præerant ciuil-  
ibus causis, quotquot extoto regno in regiam deferebantur: ita archi-

ca-



NOTATIONES.

capellanus sacrorum hominum litibus erat in aulâ iudex. Et hæc vulgo nota.

Hoc autem munus non potuit Dagoberto viuò gessisse Bonifatius, hucusque tantum hospes in hisce locis; siquidem non multum in Frisiâ commoratus, Britanniam repetivit, & mortuo demum Ratbodo rege, rediit, ut Willibaldus prodit. Actum, Dagoberto etiam mortuo, Gregorius II. pontifex maximus litteris eum Carolo Martello commendauit.

Pipino autem rege, archicapellani munus administrasse Bonifatius potuit. Certè archicancellarium Pipini regis, produnt tabulæ quædam Sufficit Epternacenses, ita signatae.

*Signum domni Pipini regis gloriosissimi. Bonifatius  
archicancellarius recognoui.*

**E**T ex epistolâ CIV. Bonifatij iam senis ad Pipinum regem, haud obscurè intelligitur, palatino aliquo magistratu eum functum. Nunc autem gloriose filii, inquit, cognoscas, quia per misericordiam Dei credo, quod possim in servitio vestro iterum esse. Propterea petimus vos, ut nobis indicetis, si ad placitum vestrum ( placitum iudicia, causarumque actiones appellabant ) debeamus venire, ut vestram voluntatem perficiamus. Quod an de munere archicapellani, an archicancellarij, an de vtroque ( iungi enim postea solebant accipiendum sit, ægrè dixerim.

Vtut est, scriptor noster, dum Bonifatium archicapellanum regis appellavit, vsus est prolepsi, quæ facile vigilatissimo cuique obrepit, quâque passim vtimur.

**P**ERREXIT FRESIAM. Cum Dorestati Dagobertus iam esset, vtique Frisiam attigerat; sed quia in limite ad oram Lyci erat is vicus, in interiorum Frisiā necdum peruererat, quô pergebat.

**I**BI TAMDIV COMMORATVS, QVOVSQVE IDOLA CVNCTA DBSTRVERET. Sub anni DCCXIV. finem obiit Pipinus Heristallius. Mox aduersus Theodoualdum nepotem eius, creature à Neustrasijs præfectus prætorio Raginfredus. Pugnatur deinde in siluâ Cotiâ: Raginfredus ad Mosam vsque populatur, iicto fœdere cum Ratbodo, in quem Martellus mense Martio, vel potius, vt scribit Ado in chthonico, mense Iulij, pugnat. Fuit ergo breuis Dagoberti in Fri-

siā commoratio. Sed exiguo quois spatio eueri idola, & cetera. quæ deinde narrantur, fieri potuerunt.

**P R I N C I P E M I T A Q V E I L L O R V M R A T B O D V M I N I N C R E D V L I T A T E P E R D V R A N T E M.** Non est improbabile, Dagobertum per legatos cum Ratbodo primū egisse, vt à sacrilego cultu idolorum abscederet; sed per uitacis animi hominem emollii nequiuissc donec insigni cacodæmonis arte circumuentus, anno DCCXIX mortuus est, vt refert Jonas in actis D. Wulfranni.

**E X T R A F I N E S F R E S I A N O R V M I N D A N E M A R C H I A M E I E C I T.** Fuisse hoc & uo conterminas Frisiā & Daniam, acta D. Lutgeri capite XVIII. docent. Profectus est Lutgerus ad quandam insulam in confinio positam Fresonum & Danorum, quæ à quodam Fosete, quem sulta gentilitas Deum estimabat, Fosites land appellabatur. Paria scribit Alchiwinus de D. Willibrordo. Peruenit in confinum Fresonum & Danorum ad quandam insulam, quæ à quodam Deo suo Fosite, ab accolit terra, Fosites land appellabatur, quia in ea eiusdem Dei fana fuere constructa. Farriam eam insulam nominat Adamus Bremensis, historiæ ecclesiasticae capite CCX. sitam in ostio Albis. Paruisse autem eandem insulam Ratbodo, certum est ex Alchwindi actis D. Willibrordi: non item liquet, an ibidem fuerit Ratbodi regiā, quod Marcellinus in actis D. Swiberti (sed parum integris) prodit. Ex his porrò efficitur, Albim flumen Frisijs fuisse pro termino: ultra flumen, proximè habitasse Danos.

Quod verò hucusque in Daniam pulsū à Dagoberto Ratbodom noster ait, in eo moderandus est ex annalibus publicis, quatenus hoc Caroli cum Ratbodo bellum attigerunt. Auctor Theoderico Iuniori æqualis. Carolus super ipsos Frigianos inruit, ibique maximum dispendium de sodalibus suis perpessus est, atque per fugam dilapsus abscessit. Fredegarius Scholasticus: contra quem Ratbodom, prædictus vir Karolus cum exercitu suo consurgens, certamen inuicem in ère. Sed non modicum ibi perpessus est damnum de viris strenuis atque nobilibus. Cernensque lasum exercitum, terga vertit. Ado Viennensis in chronicō: Ex alia parte Ratbodus dux cum Frisonibus contræundem ipsum Carolum infurgit. Pugnâ validâ commissâ cum Frisonibus, Carolus granum afflatus, dilapsus est. Ratbodus usque ad Coloniam cuncta deuastans peruenit, mense Iulij, anno incarnationis Domini DCXV. Annales Rithocani: Carolus primo certamine centrâ Ratbodom regem Frisonum, qui Coloniam usque venerat, mense Martio pugnans,

dum



*dum fortiter dimicat, magnum exercitus, sui damnum consequitur. Annales Metenses, Caroli Martelli primordia fustus prosequuntur. Karolus autem excellentissimus princeps, de aduentu Ratbodi certior factus, occurrit eis initioque certamine, magna ex utrâque parte, clades exstiterunt. Dividente nocte cedem, hostis vierque suis se se mandauit. Karolo autem visum est, ad resistendum hosti, copias angere.*

Cum his ut attemperetur scriptor noster, ita interpretandus est, talisque digerenda narratio. Dagobertus cum Carolo in Frisiā Christianam, quo Ratbodus irruperat, & quo invitārat Willibrordus, ductis copijs, facile omnia componit, Ratbodo ad eius aduentus famam regresso in Frisiā gentilem. Allato deinde nuntio, mouere Ratbodum, & iam cum exercitu Coloniā usque ex currisse, signis in eum conuersis, acie confligit. Cumque post acre certamen, dubio Marte, nox prælium dismisset, retro quisque, unde venerant, discessere; Karolus in Frisiā, Christianam proximaque loca, exercitum ibi redintegraturus: Ratbodus in Frisiā ditionis suā, quæ Dania propior. Atque ita electus in Danemarcham extrā Fresianorum Christianorum fines, dici ut cunque potest. Nec aliud eius exilium viuo Dagoberto haec tenus ego quidem excogitauerim. At Dagoberto mortuo, victum à Carolo Ratbodum, indicio est Alchwinus in actis D. Willibrordi: *Karolus multas gentes sceptris adiecit Francorum, inter quas etiam cum triumphi gloriā Fresiam deuictō Rabbodo paterno supperaddidit imperio.* Nusquam tamen quidquam in veterum annalibus est, de Ratbodo armis Caroli subacto: est autem de Poppone, qui Ratbodo extincto, Frisijs imperauit.

**WILLIBRORDVM PONTIFICEM IN SEDE SVI PONTIFICATVS DE CENTER RELOCAVIT.** Iam suprà Willibaldus docuit, expulsos à Ratbodo ex Frisiā Christianā seruos Dei, in quibus noster Willibrordum non obscurè censet, dum eum à Dagoberto restitutum in Traiectensem ciuitatem refert, ubi iam anno DCXCVII sedem Sacerdotij fixerat.

**COMMENDAVIT REX ILLI PRÆDICTVM BONIFATIVM.** Valuisse posteā, mortuo Ratbodo, hanc apud Willibrordum commendationem, probauit euentus. Willibaldus in actis D. Bonifatij, capite VI. *Sanctus hic Deifamus.* Bonifatius, cooperator factus est etiam, per tres instanter annos VV Willibrordi archiepiscopi, multumque in Christo labrans, non paruum Domino populum, destruetus (in Frisiā præsertim gentili)

*delubrorum fanis, & exstructis ecclesiarum, cratorijs, p̄fato pontifice opitulante, acquisiuit. Addit deinde, Willibrordum ætate confectum, sufficere in sacerdotio suo Bonifatium voluisse.*

**CETEROS QVE SAPIENTES.** Willibrordi sodales, quibus cum ex Britanniâ soluerat Alchwinus eos vndecim fuisse scribit, at Bedaventus, imò coxtaneus, duodenos, in quibus Switbertum recenset. Accesere deinde alij. Hos ergo, et si Willibrordo commendatissimos, impensis etiam Dagobertus commendatos esse voluit.

**EXEMPTO DENIQUE WILLIBRORDO REBUS HUMANIS.** Anno DCCXXXIX. decepsit D. Willibrordus; decimo quinto post, Bonifatius ad Frisios rediit.

**COLONIAM REVERTITVR.** Non tamen cum eo Carolus. Nā ante annum DCCXVIII. quo post victum Vinciaci Raginfredum, thesauros regios Coloniâ asportauit, eam urbem ingressus non videtur, insessam interim ab eius inimicâ Bilitrude; quæ Dagobertum, pium principem, & alicui arbitrij regem, facile tulerit, præsertim postquam deseruerat partes Neustrasiorum, qui anno post mortem Dagoberti proximo Coloniam hostiliter aggressi, non nisi auro Bilitrudis abigi à mœnibus potuere.

**AD LOCVM QVI DICITVR AD SANCTOS AVREOS.** Causam nominis attulit Gregorius Turonensis libro I. de miraculis, capite LXII. *Quia admirabili opere ex musivo quodammodo deaurata resplendet, sanctos aureos ipsam basilicam incole vocitare voluerunt.*

**ADEBRECIA M.** An Arbres, vicus tertio fermè lapide à Beuernâ orientem versus distans?

**VENATORE SVO THASSILo.** Verisimile est, hunc fuisse ex venatoribus, quos *principales* vocat Hincmarus, ex commentariolo Adalhardi Corbeiensis abbatis, de officijs palatinis Francorum. Eranthi venatores in aulâ quatuor, cum aucupe uno, seu falconario, quorum munus describit idem Hincmarus epistolâ XIV. viri, haud dubiè, nobiles; quod vel ex hoc Thassilone apparet, cui rex, ut clienti, villam Adebre-tiam seruauerat.

**VAPORACENSEM PAGVM.** Nostratisbus hodie est, *le pais de vvaiure, & Germanis der vvauart, vulgo antiqui vvabrensem, VVauerensem, vvauariensem, vvapensem, & pagum de vvelrâ nuncupabant, quod hymnus de S. Dagoberto corruptius dixit vvipriam, seu vvepriam Indi- visione regnorum Ludouici Pij, vvaren sis, absque pagi additu, appellatur.*

Fuit



Fuit Vaporacensis seu Vabrensis ingens pagus, duos complectens comitatus. Portio Caroli Calui, in diuisione regni Lotharii.

*Lingas, quod de ista parte Mosa est, & pertinet ad Melsatum.*

*Scarpone.*

*Viriduniense.*

*Dulminse.*

*Arlon.*

### VAVRENSE COMITATVS IR.

*Mosminse.*

*Castritium.*

*Condurst. &c.*

Antiquissima vabrensis pagi mentio est apud Gregorium Turonensem, libro IX. historiæ, capite XII. Erat villa in pago Vabrensi, cui imminebat Mons arduus. In huins cacumine basilicam in honore sancti ac beatissimi Martini construxit Childebertus. Ferebant ibi castrum antiquitus fuisse, sed nunc non cura, sed natura tantum munitum erat. Huius veteris munitio-  
nis reliquias idem Gregorius, supra capite IX. castrum Vabrense nomina-  
uerat, villa Ursionis propinquum. Villam autem castro huic Vabrensi ad pe-  
dem montis subiectam, quoniam haud multum / ut ex eodem Gregorio  
*intelligitur* Viriduno aberat, sitaque erat in Austrasiâ, sunt, qui Ferteia- \* La Ferte.  
cum \* esse autument, oppidum prouinciae Lucilburgensis, inter Iuodiū  
& Montem Medium, ad Carum flumen. Certè loci habitus, vt hodiè res  
sunt, Gregorij verbis omnino respondet. Ait enim Gregorius in cacu-  
mine montis, qui villa imminebat, stetisse basilicam D. Martini. Atqui etiā  
hodie in monte proximè ad Ferteiacum, templum visitur, D. Wulfilaico  
diacono Langobardo, & stilitæ sacrum, qui quondam ibi D. Martino ba-  
silicam magnam construxerat, quasi octo millibus à castro, inquit Grego-  
rius libro VIII. capite XV. quod ipse Ep̄osum, nos Iuodium dicimus. Sed  
ea basilica postea à D. Wulfilaico nomen accepit, abolito D. Martini ti-  
tulo, diciturque hodiè à Saint VValfroy. Atque ea D. Martini, quam Vul-  
filaicus ædificauit, basilica, illa ipsa est, quam Magnericus Treuirorum  
episcopus, in monte pagi Vabrensis, vt in eius actis tradit Euerwinus ab-  
bas, posuit, sacrificisque D. Martini reliquijs exornauit. Nec mirum vnius  
basilicæ trescoætaneos dici conditores, Childebertum, Magnericum  
Vulfilaicum. Nam Vulfilaicus condendæ fuit auctor, Childeberto rege  
præbente impensam, Magnero dedicante.

Sed quo notiores sint Vaporacensis, seu Vabrensis pagi fines, quædam  
eius



eius loca ex veteribus tabulis apponam. Anno DCLXXIX.

Tabulæ Pipini Heristallij & Bilitrudæ coniugis eius. *Nugaretum (Nau-*  
*roy) sita in pago VVabrinse.*

## DCCIV.

Tabulæ Arnulfi ducis: *Floriacum (Fleury au pais Messin) situm in pago*  
*VVabrinse, in comitatu scarponense.*

## DCCLXIII.

\* *Bauone-* Tabulæ Chrodegangi Mediomatricensis episcopi ? *Bononecurtis* (\* Bon-

*curtis.* court (Cinciloneusilla ( ) in ipso VVambrinse pago).

\* *Cippine-* Item: *Cipponiuilla\** (Sponuille) & *VVasnauilla.\** (Wauille) & *Bertaldo-*  
*willa.* *curtis* (Bertoncourt) in pago VVanbrinse.

\* *VVaf-*

*nauilla,*

## DCCLXVIII. vel sequenti.

Tabulæ Bertrammi: *in pago VVabrinse, scilicet in Heldingen (Hellingen)*  
*& in Frisingen (Frisingen)*

## DCCLXIX.

Tabulæ Blitcharij; *Berulfiuilla* (Bruuille) *in pago VVabrinse, in comitatu*  
*virdunensi, superfluum Senode (c.)*

## DCLXX.

Tabulæ Angilramni Mediomatricensis episcopi. *Gaudiacum* (Jouy, su-

prâ Diuodurum, vbi aquæductus magni pars) de ratione S. Stephani, sive  
in pago VVabrinse.

Tabulæ Bosonis comitis: *Quinciacum* (Quincy) *in finem VVaurense, su-*  
*perfluum Azenna.* (l'Azene)

## DCCLXXI. vel sequenti.

Tabulæ Mauritiij: *in pago VVaberinse, in villâ qua dicitur Matinga (Met-*  
*tendorff) & in alâ villâ, qua dicitur Crupsta. (Crouchten ad Alten-*  
*riam infra M. f.)*

## DCCLXXXIII. vel sequenti.

Tabulæ Audradi: *in pago VVabarinse, villa nuncupante Eptiaco (Itzich)*

## DCCLXXXVI.

Tabulæ Beornradi abbatis Epternacenlis & Audradi: *Eptiaco (Itzich),*  
*in pago VVabarinse, superfluum Alsfânia.*

## DCCXC. vel sequenti.

Tabulæ Garbani & vxoris eius Ratfnd: *In pago VVabarinse, iuxta ca-*  
*stellum nomine Zolueren (Zoluer) in villa, qua vocatur Hagenen. ( forte*  
*Safcin.)*

## DCCXCV.



## DCCXCV.vel sequenti.

Tabulæ Ranbentii & Sororis eius Renildæ: in pago *VVaberinse*, in villa,  
que vocatur *Crufta* (*Croucham*.)

Tabulæ Hamelini & vxoris eius Dadæ: in pago *VVabarinse*, in loco, qui di-  
citur *Gandridengen* ( ) super flumio *Sunera* ( )

Tabulæ Henrici: in pago *VVabarinse*, super flumio *Alsantia*, in loco, qui dici-  
tur *Scuffelingen* (*Schifflingen*)

## DCCCIII.vel sequenti.

Tabulæ Erembaldi: *Hilde* ( ) in pago *VVaberinse*, super flumio *Al-*  
*santia*.

## DCCCXXII.

Tabulæ Warnildis: *Dodonicurtis* (Doncourt aux templiers) in pago *vir-*  
*dunense* sive *VVabrinse*.

## DCCCLI.

Tabulæ Alfarai: *Bibonismons* (Bomont, ad Ornam in monte situs vicus)  
in pago *VVabrinse*, super flumium *Orna*. Fluuius ille Venantio Fortunato  
notus, libro X. carmine IX, vulgo *L'orne*, in Mosellam medio inter Di-  
uodurum & Theodonisvillam spatio influit. Regio adiacens, *L'ornois*  
modò dicitur, à vico *Orna* (vnde flumio ortus & nomen) ad Mosellam  
porrecta.

## DCCCLII.

Tabulæ Erkanfridae, vxoris Nithardi comitis. *Marisch* (Mersch) in pago  
*VVabrinse*.

## DCCCLXVII.vel sequenti.

Tabulæ Adalini: in pago *VVabarinse* in loco nuncupante *Hafsmaringa marca*  
( *Hespringen*? )

## DCCCLXXIV.

Membrana vetus: *Inueniacum* (*Iuuigny*) in pago *VVabrensi*.

## DCCCLXXVI.

Tabulæ Walonis episcopi Mediomaticensis, & Leuthardtis, filij quo-  
que eius Nithardi. *Brancelinga* ( ) super flumium *Alifontiam* in pago  
*VVabrinse*.

## DCCCXXXV.

Tabulæ Barnardi, & Ermigaudi abbatis Gorziensis: *Gandribis* (Lande-  
lieue sur L'orne) in pago *Virdunense* sive *VVabrinse*, in Theuterooprato in una  
fronte flumius *Orna* currit.

I

Item



Item: *Bettoniacum* (*Bettancourt*) seu *Bettonis curtis*, in pago *virdunense* sive  
*VVabrinse*, super *fluum speona* ( )

DCCCCXIV.

*Tabulæ Wigerici abbatis Gorziensis: Confluentis* (*Conflan*) *in pago VVabrinse*, in comitatu *Virdunensi*, super *fluum Horna*.

DCCCCXXXIII.

*Tabulæ Adalberonis episcopi Mediomaticensis: Ecclesia ad Domnum Martinum* (*Dom Martin*) *in pago VVaurense*.

DCCCCLIX.

*Tabulæ Hilgundis comitissæ: Villa Grimincia* (*Grimigny*) *in pago VVaprensi*, & comitatu *virdunensi*.

DCCCCLX.

*Tabulæ Othonis Magni: Freneia* (*Fresne en Waiure*) *Villare* (*Viller*) *Sennet* (*an Senone?*) *in pago VVaurense*.

DCCCCLXXXII.

*Tabulæ Othonis II. Amella* (*Amel*) & *Godulfi villa* (*an Ioudrouille non longe ab Amella?*) *in pago VVebræ dicto*.

DCCCCXCI.

*Tabulæ Godefridi: Geuerardi fossa*, inter duos torrentes, *Lotofam* & *Horonsem* ( ) *sita in pago VVaurense* & comitatu *scarpinise*.

DCCCCXCVII.

*Tabulæ Othonis III. Monderchinga* (*Mondrich*) *in pago VVauariensi*.

MXV.

*Tabulæ Henrici II. Imperatoris: in pago Vaprensi*, in comitatu *de Casterei*, *prædium Ballodium* (*In alijs tabulis eiusdem Henrici, scriptum ita: Bailodium in pago Mattensi*) *Baillen en Matoix*.

MLIII.

*Tabulæ Vulneranni, vel Willeranni: Careica* (*Cherey*) *in pago VVaurense*.

Mansch

Vnde pagum *Wabrensem* inter *Grafem*, *Luciliburgum*, *Diudurum* *Mediomatricorum*, & *Eposium* seu *Iuodium*, latè excurrisse, appareat. Eum autem ambibant in orbem pagi hi: *Mosomensis*, *Arduennensis*, *Bedensis*, in quo *Epternacum*, & *Beda vicus* (*Bitburg*) *Recensis* seu *Ricciafensis*, in quo *waldelefinga*, & *Sirka*; *Iudiciacensis* apud *Theodonis Villam*, trans *Mosellam*, *Salnensis* (*le Saulnois*) ad *Saliam flumum*, *Mettensis*,



tensis, Scarponensis, Castreiensis, Mattensis & virodunensis ; quitamen postremi quatuor cum Vabrensi s<sup>e</sup>pe confusi ; eo quod Vabrensis provincialis esset.

**P E R I L L I V S P A G I D E S E R T A.** Quà pagus Vabrensis Mosæ & Mosellæ est propior, felicioris est soli, & campestris : saltuosis idem, quà longius inde recedit, & multum de ingenio ac indole trahens vicinæ Ardennæ, venationibus priscorum Franciæ regum celebratæ. Quin imò pars deindè Vabrensis pagi Ardennæ videtur accessisse. Nam vicus *Marisch*, qui in tabulis Erkanfridæ locabatur in Vabrensi pago, in tabulis Sigifridi comitis Luciliburgensis, anno DCCCCXCIII. editis, ponitur, *in comitatu Ardenneſe*.

**I N L O C V M Q V I V O C A T V R S C O R C I A S.** Scorias habet alius codex ; Theodericus Epternacensis infra citandus in *Cortiâ siluæ* dixit. Silua porrò altero à Sathanaco lapide est, Vabrensis appellata (*le bois de Voiure*) in quà degit eremicola, dictus vulgo *eremita D. Dagoberti*, atque ante annos ferme viginti visebatur ibi eiusdem D. *adricula*. Manat ibi quoque limpidus & copiosus fons. Hoc loco D. Dagobertus martyrium fecisse creditur, solentque etiam nunc Sathanacenses annuâ supplicatione eousque procedere. Partem autem huius nemoris accolæ vocant *Scincerte*, vel *Scine artel*, quod nomen, ut acutè perspexit vir eximius Floncelius, est ipsissimum siluæ *Cortia* seu *Scoria* vocabulum, et si nebulâ quâdam ex æui diuturnitate obfuscatum.

**M I L I T I B V S.** Equestris ordinis viris. Vix enim aliter ætate mediâ appellari iij soliti, quam *milites*. Nicolaus monachus, in aëris D. Godefridi Ambianensis episcopi : *Totius Flandriae nobiles sive milites*. Glossæ antiquæ Latino-Saxonice : *Miles, ridder ; militare, ridder macken, Militia Ridderſchap*.

**F I L I O L V S E I V S.** Ex baptismo. Augustinus sermone CLXIII. de tempore.

**M A G N A M I N S O M N I S V I S I O N E M.** Fortasse qui visum hoc leges, ad fabulas, & *Æsopæos* logos voles amandare. Sed caue faxis, nisi cum Paulo Diacono, & Aimonio in contentionem venire manus. Simile enim planè somnium Guntramno Burgundionum regi oblatum, sed in Francorum historiâ prætermissum, Paulus Libro III. de rebus Langobardorum, capite XXXV. inseruit, ex coque hausit Aimoinus, libro III. capite III. Paulus ita narrat. *Guntramnus, cum venatum quo-*

dam tempore in siluam issit, & ut solet fieri, hac illaque discurrentibus sociis, ipse cum uno fidelissimo tanum suo (Warnarium nuncupant Burgundi) remansisset, granissimo somno depresso, caput in genibus eiusdem fidelis sui reclinans obdormivit; de cuius ore paruum animal in modum reptilis, egressum, tenuem riuulum propter discurrebat: ut transire posset, satagere coepit. Tunc isdem, in cuius gremio quiescebat, spatham suam vaginalē exemptam super eundem riuulum posuit, super quam illud reptile, de quo diximus, ad partem aliam transmeauit. Quod cum non longe exinde, in quoddam foramen montis ingressum fuisset, & post aliquantum spatii regressum, super eandem spatham præstatum riuulum transmeasset, rursum in os Guntramni, de quo exierat, introiuit. Guntramnus post bac expergefactus, mirificam se visionem vidisse narravit. Retulit enim sibi apparuisse in somnis, quod fluminum quendam per pontem ferreum transisset, & sub monte quodam introisset, ubi multa auri pondera aspexisset. Is vero, in cuius gremio caput tenuerat, cum dormisset, quid, de eo viderat, ei per ordinem retulit. Quid plura? Effossus est locus ille, & inestimabiles thefauri, qui ibidem antiquitus positi fuerant, sunt reperti. De quo auro ipse rex post modum ciborum solidum mira magnitudinis, & magni ponderis fecit, multisque illud pretiosissimi gemmis decoratum, ad sepulchrum Domini Hierosolymam transmittere voluit. Sed cum minime potuisset, idem supra corpus beati Marcelli martyris, quod in cintate Caallono sepultum est, ubi sedes regni illius erat, poni fecit, & est ibi usque in praesentem diem; nec est usquam illum opus ex auro effectum, quod ei valeat comparari.

C. V. Jacobus Chiffletius, post eius subtile & acre iudicium, examine ac librâ non est opus, Guntramni hoc insomnium verum esse censet, in Vesontione suâ, parte II. Germano episcopo. Nec ego negauerim Guntramnum hoc somnium verè somniauisse. Sed ut ad Dagobertum nostrum idem illud somnium pertineat, ægrè induci possum ut credam. Certè cum morbo mortuum, non post somnium à cliente cæsum, tradit auctor Theoderico, Dagoberti filio, coœus. *Dagobertus rex*, inquit, *ægrotans, mortuus est.* Verba eadem sunt in vetustis annalibus anno DCCCXI. scriptis: Sunt & in annalibus Moissiacensibus. Illi enim duo annalium libri quod ad res attinet horum temporum, compilati ferè sunt ex eodem isto auctore regi Theoderico Iuniori coœuo; adeo ut unus sit scriptor, qui ex morbo decessisse Dagobertum tradat. Nam ceteri omnes, etiam antiqui, mortuum Dagobertum, nec aliud prodiderunt; excepto Theoderico Epternacensi, & Alberico qui, ut infra dicam, occisum scripserunt.

Si



Si quo auctor aliquis vetustior est, eo est verior, satendum erit, ager-  
tantem obijisse Dagobertum. At, cum morbi Dagoberti inter omnes  
vnicus hactenus sit auctor, necdum cogimur, ut existimo, vnius testimo-  
nio stare; praescitum cum publicis monumentis, iisque antiquis, indece-  
tur, Dagobertum violentâ morte defunctum, dum *martyris* titulus &  
cultus ei tribuitur. Nam in tabulis Godefridi Barbatii, ducis Lotharin-  
gix, & Beatricis coniugis eius, quibus anno MLXIX. Sathanaci pro ca-  
nonicis, Gorzienses cœnobitas inducunt, Dagobertus Sathanaci situs,  
inscribitur *Sanctus martyr*. Idem est in geminis tabulis Godefridi Bullo-  
nij, Godefridi Barbatii nepotis, editis anno MXCIII & MXCVI. Et Al-  
bericus, *martyrizatum* D. Dagobertum diserte dixit.

Inter hos scopolos, si mediâ viâ mihi incedere licet, facile me ingenio-  
sa & per quam appositæ Eximij viri Floncelij conjecturæ commiserim,  
qui Dagobertum ex Frisia reducem, censet adduxisse vna secum ex cap-  
tivis gentilibus ( quorum aliquos Dorstati per miraculum liberauerat )  
adolescentem aliquem, eumque de sacro fonte suscepisse, vnde & filio-  
lus eius dictus sit. Sed adolescentem, ( vt barbari ferè leues sunt & per-  
fidi ) simulatam in captivitate religionem excusisse, & per occulta ne-  
morum, vsum opportunitate solitudinis, regem, patriæ suæ hostium pri-  
mum, ex venatione lassum & dormientem, ceteris omnibus per filiam  
dispersis, solum adortum, trucidâsse.

Cui doctissimi viri conjectationi sane plausibili, ac per quam probabili  
pondus addit cædes Grimoaldi, Pipini Heristallij filii, qui cum Ratbodi  
Frisorum ducis gener esset, per hos ipsos dies à Rangario Frisio gentili  
( Siebertus addit, fuisse Ratbodi *satellitem* ) Leodij ante D. Lambertii  
tumulum inter precandum occisus est. Hinc enim intelligitur, nouum  
non fuisse illis temporibus, sæuire Frisos gentiles in prima Christiano-  
rum capita, inter quos fuerit Dagobertus perfide & impie interemptus,  
sed sine somniorum istis ludibrijs. Neque enim somnium, prout hic  
describitur, vlo modo subsistit. Quale enim illud est, vt Dagobertum  
solum solus percusserit, moxque is à malo genio correptus, expirauerit,  
& tamen somni tam prodigiosi notitia à mortuis ad vivos peruenierit?

Nihilominus Dagoberto titulum martyris asserere, plane in promptu  
est. Nam cum tot annorum memoria, testata etiam publico cultu & pu-  
blicis monumentis, martyrem Dagobertum celebret, non est de causâ  
modoque amplissimi tituli laborandum. Qui thesaurum confessum  
certumque reperit, non idcirco habet contemptui, quod vnde sit, ne-  
sciat,

sciat. Pecunia estimationem, non officina, sed moneta facit. Nemo, nisi probè insanus, poma abijcit, quod ubi, quando, cuius satu prouenerint, ignoret.

Ad acta porro nostra quod attinet, ut ea quomodo cunque hâc in parte vindicemus, non est mirabile, eorum auctorem, qui de Dagoberto nihil ferme in scriptis inuenierit, sed ex aliorum memorâ pleraque hausebit, ei id attribuisse somnium, quod alicui maiorum eius, Merouingicæ stirpis regi, euénisse constabat, quod etiam non in publicis Francorum annalibus, sed in Pauli Aquileiensis peregrinæ gentis, hoc est, Langobardorum historiâ, continebatur, vnde Aimoinus, scriptore nostro (ut opinio est) posterior, aut certè æqualis, deprompsit, nec verbo fere mutato.

**PAPILIONEM.** Paulus Diaconus *animal reptile* posuit, nec mutauit Aimoinus, **Noster**, cum per *animal reptile* erucam intelligendam crederet, dixit *Papilionem*, qui ex erucâ existit.

**SENIOR.** Dominus. Odilo in actis D. Maioli Cluniacensis abbatis; *Imperatores, imperatrices, reges, principes, Seniorem illum appellabant & dominum.* Hinc Itali, Hispani, Galli, vocabulum honoris habent.

**CARNIFICEM.** Auctor prosæ dicit *histrionem*, vel quod gladiatores, lanistæ, histriones, ex æquo in spectaculis esse soleant, vel certè, quod Dagoberti percussor, cædem dolosè peragens, histrionem egisse visus sit, & dedisse velut tragœdiā.

**TRANSTYLERVNT ILLUD IN LOCVM TVNC SATANAVS VOCATVM.** Liberabo tandem promissi fidem, <sup>h̄mam</sup> siveque scriptorum veterum de D. Dagoberto Sathanaci sepulto duo testimonia, quorum prius est Theoderici Epternacensis, quem suprà dixi anno MCXCII. ex antiquis annalibus res gestas regum atque imperatorum collegisse. Is scripsit autem in hunc modum: *Anno vero DCCXV. Dagobertus rex, V. anno regni sui, in Cortiâ filiâ occisus, Sataniaco sepultus est.* Est hic memorabilis locus, eumque pro admirabili suâ humanitate mecum communicavit Petrus Fischius, abbas Epternacensis, vir mihi semper reuerentissime colendus. Testimonium alterum est Alberici, ex monasterio trium Fontium in Burgundiâ cœnobitæ, qui ante annos amplius quadringentos, summâ diligentia ex optimis quibusque auctoribus chronicon collegit. Ita ille scribit ad annum DCCXIV: *Mortuo Childeberto Francorum rege, post annos XVII. & in abbatiâ S. Stephani de Cenaciaco sepulto, quidam filius eius Clodoueus, qui*

\* Lege  
DCCXI.

## NOTATIONES.

71

*& Dagobertus, regnat annis IV. Anno deinde DC CXIX. \* Dagobertus Iunior Francorum rex, à quodam filio suo in situā martyrizatus, iacet apud Sathanagium. Hoc insigne testimonium ei libentissimè debeo, cui debet omnis historia, C. V. Iacobo Chiffletio.*

PVEROS DIVINIS LITTERIS INSTRUEBAT.  
Accipiendum accomodè, ut litteras quidem profanas ficeret ille pueris tradiderit, sed quæ ad sacras eos velut introducerent: vel certè, litteras dixit auctor diuinæ, ut in actis D. Amalbergæ, illiteratus dictus est laicus. Fulo quidam purus laicus, qui nunquam didicerat solam litteram, obseßus per quindenam, ita congruè latinebatur, quod vix aliqui clericorum sibi respondere valuerunt.

LOCI IUDICI. Villa fuit Sathanacum hoc tempore; poste à castellum, id est, oppidum munitum factum est. Tabulae Godefridi Bullonij anni MXCVI. Ecclesia apud Sathanacum, olim villam, nunc castellum. Villarum autem regiarum iudices, erant præpositis nostris haud multum ab similes, ut ex epistola patrum Synodi Carisiacensis anno DCCCLIX. ad Ludouicum regem Germaniæ missâ, capite XIV. intelligitur.

D OMINVM REGEM CAROLVM. Caluum. Scriptum vetus Gorziense, editum Brunone Treuirorum Archiepiscopo, qui ab anno MCII. ad MCXXIV. Sacerdotium gessit: *Est in Treuirensi dioecesi, & in locanatu Iuodiensi, nostra quadam cella, in Satanaco, quondam villâ, nunc castello, sita, cuius monasterium Carolus Caluns imperator construxit, atque canonicos ad seruiendum Deo constitens, eis ecclesias, & ibi, & circum posita, integrâ donatione, & absque cuiusquam rei exceptione attribuit.*

Sathanacum porro Godefridus Bullonius, expugnator ille Palæstinae, muris cinctus anno MLXXXVIII. cum inter eum & Theodericum episcopum Virodunensem, de eius urbis præfecturâ, graue exarsisset bellum. Rem Joannes Leodiensis, cenobij D. Laurentij Leodij & D. Vintoni Viroduni asceta, cuius commentariolus de episcopis Virodunensibus quem Bertharij opusculo subtexuit, nondum in lucem editus est, ita narrat: *Duce quoque Godefrido Gibbosò in Frisia sicariè mortuo, in hac urbe à duce Bulloniense Godefrido trigesimo, \* quem ex sorore nepotem, sui heredem ille moriens, designauerat, iuxta patrem honorifice sepulto, natus est ipse episcopus (Theodericus) auferre ipsum urbis comitatutum de sub ingo Bulloniensium. Quo Bullonico castro possesto, in ducatum successit, illum abstulit, nactus opportunum tempus, quia illi, ut minus legitimo duci, rex & multi regni primates*

## 72 IN ACTA D. DAGOBERTI R. &amp; M.

mates armis insurrexerunt, & nobilissimo Alberto Namurensi comiti, qui unus erat eis hostium, eundem comitatum beneficiauit. Cum etiam idem Albertus Bullonicum castrum, quasi magis sibi hereditarium, super predictum Godefridum absedit, ei cum omnibus suis episcopatus viribus supprias venit, Sed dux bellicosissimus, inclusis suis cito affuit, & contraicto exercitu obsidionem hostium soluit, multis nobilitum interfecit. Subinde plurimum offensus episcopus, comitem de Grandi Prato Henricum, primo grauiter sibi rebellantem, cum armis cepisset, soluit a vinculis, & verdunico hostem territorio misit. Qui iussa eius non segniter executus, plura hostilia ferro, flammâ, prædisque in nostros commisit. Ipse quoque dux in Sathanaco sui iuris oppido<sup>+</sup> castrum firmavit, prominens in fratribus episcopi, per quod in nostros graues inimicitias exercebat; unde & episcopus illud obsedit; contractis undique auxiliarijs, & prædiclo Alberto, cum omnibus suis, causâ ecclesie in auxilium suis adest. Dux iterum accinctus validâ manu bellatorum, acerrimè pugnatum est, cruentissimè concussum est, donec fessus uterque exercitus, iussu duorum à cade renocatus est. Actum anno huius Theoderici quadragesimo; ubi & multi nobiles occubuerunt, Neutri parti victoria cessit, sed episcopus non soluta obsidione, suos tentorij, dux autem suos castro recepit, missisque inde cursoribus velocissimis, à totâ Germaniâ & Franciâ, per fratres suos Eustachium & Balduinum, cogebat exercitum sibi in auxilium. Quos ubi pontifex super se irruere certissimo nuntio accepit, expauit sanguineum iudicium facere extimuit, obsidionem soluit, eodem nuntio hoc ipsum agente, shortante & mouente. Ipse erat Henricus Venerabilis Leodiensis præfus, eiusque frater Fredericus, comes Tullenensis, fratresque Regnaldus & Petrus, post Hierosolitanam expeditionem insignes habendi, tunc ibi sub Theoderico præfule militabant, eratque ipse & nostro pontifici, & duci Godefrido carus & fidelis. Thedericus porro, Virodunensis episcopus creatus est anno M XLVIII. vt idem tradit Ioannes Leodiensis, cuius commentarioli usum debo Francisco Lapierio nostro, viro eruditto.

**PRÆCEPIT REX ALIAM PRÆSTANTIOREM CONSTRUERE BASILICAM.** Templum D. Dagoberti, quod auorum nostrorum a memoria visceratur, absumpit fermè vniuersum, cum circumfusis canonicorum & monachorum habitaculis, Sathanacensis noua munitio, que anno M D XC I. à principe Bullonio copta, perfecta deinde est anno M D XC V. à Carolo Lotharingiæ duce. Tum deieciis ædificijs omnibus, sola ea pars templi remansit, quam chorum appellamus. Turrebasilicæ versa est in armamentarium. An hæc autem basilica

\* Pro villa  
& loco nō  
munito  
positum.



silica ea fuerit, quam Carolus Caluus posuit, parum compertum habeo. Fortè sub terrâ quæ latent, clara magis indicia dederint, quæ solo nuper exstabant. cum enim munitionis Sathanacensis vallum profundius excavaretur, arca lapideæ, ossibus ac cineribus plenæ, insigni numero inuentæ sunt. Cellula etiam camerata sub terram depressa apparuit, in quâ mensa lapidea, cui tria humana corpora in faxeis sedilibus circum accumbebant, quæ simul atque aurâ in cellulam penetravit, disfluxere in cineres, manentibus tamen inter cineres ossibus, & quidem proestate longâ & carie, satis firmâ. Proximè & profundius, repertrum est sepulchrale monumentum ex lapide structili. Recubabat intus ingentis formæ corpus. Ossium, quæ integra super erant, atque in primis dentes Nanceum Carolo Duci, miraculi causâ, delata sunt. Longitudo corporis, quantum de loco sepulchri, & symmetriâ membrorum coniici potuit, erat inter quinos denos, & senos denos pedes. Haud longè inde, patebant stupendi sub terrâ fornices, longissimè excurrentes. Crediderim olim cryptam fuisse subterraneam templi. Hæc veteris basilicæ, ut opinio est, tum inuenta monimenta.

Nec dubitatur, quin ea sepulchra fuerint virorum illustrium, cum constet maiores nostros, hominibus tantum sacris, ut episcopis, & primarijs, sepulchra in templis concessisse. Plebi verò, & è vulgo hominibus erant ante Vrbes & castella, publica coemeteria, quo genere nec Sathanacum caruit. Per eosdem quippe dies, quo superiora detegebantur, inuenta quoque est medijs in agris, loco eminenti & suburbano, vis magna arcarum lapidearum, cum operculis suis politissimi operis. In his arcis cineres & ossa inerant. Solebant enim antiqui Christiani sarcophagi Treuiris quam plurimi, circa veteres basilicas DD. Maximini & Paulini educti, non sine molis admiratione spectantur.

BASILICAM. Supra in scripto veteri Gorziensi dicitur Carolus construxisse monasterium cellæ Sathanacensis, quod idem est. Nam præcœbaricæ templo & basilicas monasteria nominabat.

PRAECEPERUNT EPISCOPI PER SINGULOS ANNOS  
CELEBRARI SOLENNITER DIEM MARTYRIS DOMINI  
DAGOBERTI. Ad episcopos etiam pertinebat, qui sancti & divi recipiendi essent, decernere. Capitula Caroli Magni, quæ ad Theodosii villam, anno V. regni dedit, capite XVIII. De ecclesijs, seu sanctis, nouiter sine auctoritate inuentis, nisi episcopo probante, minime venerentur, saluâ etiam

& de hoc, & de omnibus ecclesijs, canonica auctoritate. Et iam olim martyribus cultum non esse datum, nisi ab episcopis ante essent vindicati, docet ex Optato Mileuitano. Cæsar Baronius in martyrologio. IV. Nonas Aprilis.

X. KAL. JANVARIJ. Anno DCCXV. cum annis V. regnâ set. Jam celebratur annum D. Dagoberti solenne IV. Nonas Septembres. Ita Sathanaci, ita Longwici, vbi templo paroecia D. Dagobertus est patronus, ita totâ Virodunensi diœcesi, ita & in vico Machtem, haud Tonge supra Macheram Comitis ad Mosellam, vbi quoque S. Dagobertus templi paroecia tutelaris est, visturque eius statua in arâ principi, habitu regio, multæ venerationis.

NATALITIVM. Nicolaus pontifex maximus ad responsa Bulgarorum, capite V. Aprâ consueridine tenet ecclesia, ut solennes beatorum martyrum vel confessorum Christi dies, quibus ex hoc mundo, ad regionem migrarunt vinorum, nuncupentur natales, sed & eorum solennia, non funebria, tanquam morientium, sed (ut pote in vera vita nascentium) natalitia vocentur.

SORDIDVS ETIAM VINITOR. Ouidius IV. Fastorum.

Venit & Autumnus calcatis sordidus vnis.

IN SVO HILARI LABORE. Antiquissimum semper fuit, ab lætis vinitoribus opus peragi. Ad colentes vineam, pertinet illud Virgilij H. Georgicorum.

Iam canit extremos effuetus vinitor antes.

Antes, sunt vitium primus ordo. Ad exprimentes vina, illud Isaiae XVI. Vocem calcantium abstuli, & hoc Jeremiæ XXV. celeuma; quasi calcantium concinetur.

IN SANCTI SÆPE DICTI TERRITORIO. Videatur accipiendum de agro, seu, ut modo loquimur, præpositurâ Sathanacensi. Infra tamen post castigatum mulieris irreligiosæ crimen, additur, tam in illo pago, quam ubique, venit emendatio ex tali facto, ut verisimilius sit, agi de toto Vabrensi pago, in quo situs D. Dagobertus.

VNGVLÆ MANVI INFIXÆ. Vngula pro vngue, prisca est barbaricæ. Faustus in actis D. Mauri, capite IV. vbi de curato Herardo, Cenomanensi vicedomino: à scapulâ eius usque ad vngulas manuum, ex omni parte crucis signum faciens. Glossæ veteres: vngula ponitur pro vngue.

PARVI PENDISTI EPISCOPORVM SACERDOTVM-

QVE

QVB NOSTRORVM IMPERIA QVI EX DEI AVCTORITATE PRÆCIPERVNT ET SI SCIRENT DISPLICERE NON PRÆCIPERENT. Ita hæc de episcopis & sacerdotibus dicuntur, quasi de viuentibus, & superstibus, non additâ voce quondam, aut nuper. Ex quo haud dubiè sequi arbitrabar, prodigium hoc, non multum esse posterius Carolo Caluo, quo curante, episcopi natalem, D. Dagoberti consecrârunt.

Et quoniam hoc vnicum prodigium auctor scriptis comprehendit, cum multa patrata memorentur, planè apparet, paucis etiam annis post patratum illud miraculum hæc acta condidisse; fortè proximè post Nortmannicas clades, quas sub annum DCCCLXXXII. Lothariense regnum variè perpeßum est. Atque ad hæc bella fortasse respexit auctor, dum ita ad extremum D. Dagoberti opem implorat. *Tuis sanctis intercessionibus, protegatur totius ecclesie exercitus. Impetra nobis pacem perpetuam, veram concordiam, caritatem firmam, tibiique veneranter famulares, defende de cunctis inimicis.*

Alia quoque accedit ratio, ut scriptorem nostrum Carolo Caluo, & Nortmannis supparem existimemus. Cum Godefridus Barbatus Gorziensium monachorum coloniam Sathanacum deduceret, canonicosque indidem remoueret, solutè hi, abiectâ omni disciplinâ viuebant. Quod Barbatus ita in tabulis queritur. *Ego Godefridus dux, instinctu & supplicatione veneranda collateralis nostra Beatricis multotiens sollicitatus, considerans ecclesiam Sancti Dagoberti apud Sathanacum villam iuris nostri, & pretiosissipius sancti martyris ossibus, & multis alijs sanctorum pignoribus illustratam, sed à canonicis inibi sub carnali vitâ degentibus, & sua potius, quam diuina querentibus, usquequaque neglectam.* In quem miserabilem statum non quadrat, quod prodit scriptor noster, fraternitatem Satanaensem flagitantem (est autem flagitare, vehementer petentium) roganisse, ut de rebus D. Dagoberti scriberet. Neque enim qui mores bonos abiecerant, curam magnopere actorum D. Dagoberti retinuisse videntur. Inflammati ad virtutem, solent exempla sibi ex virorum proborum, & maximè domesticorum vitâ, petere, quod Canonicos recens à Caluo institutos, & primo disciplina ardore accensos potius fecisse, quam remissos illos, & à statu religioso penitus deiectos, longè probabile est.

ACCEPTIS LICHNIS. Lychni, sunt lucernæ; quas inter donaria dicare interdum, & suspendere ex templorum tholis, solemus, sed non vulgo, & velut temerè correptas, donum ferre. Glossæ veteres, lichen-



num pro ellychnio ponunt: *lignus, linemet*, quod Gallis est *la meche, lignon*. Credibile est inter hæc donaria reæ mulieris, vel ellychnium, vel certè cereos, præsertim flexiles illos & tortiles, quos sacer vñs *torticia* nominat, qui ellychnio non absimiles, debere intelligi. Atque ut hic *Lichnus* procereo, ita alibi, quod d'insolentius, *candelam* pro lucernâ positam, intenio. Acta Constabilis, Cauensis in regno Neapolitano Abbatis: *candela quoque, que ante crucem & venerabile beati viri corpus quotidie ardet, de summo cecidit, nec vitrum fractum est, nec oleum effusum.*

Cereos porrò D. Dagoberto plurima olim Sathanaco vicina loca offerebant. Enumerat ea Hillinus Treuirorum episcopus, tabulis anni MCLVII. quibus, quid presbyteris paroeciarum Sathanaci, & Mosaci, quid basilicæ D. Dagoberti debeatur, definit. Præterea, inquit, *sicut antecessores nostri iam dictæ cellæ* (S. Dagoberti) concederunt, ita & nos cereos concedimus, & confirmamus, de his scilicet villis, Sathanaco, Mosaco, Seruifaco, Marthechri, Olese, Vileio, Linaco, Nouiantho, Bruenna, S. V. Volfazio, Caufiaco, item Caufiaco, Moseio, Margurio, Beneio, item Beneio, Tonna, Sinniaco, Aarniaco, Breusio, Sapinio, Quinciaco, Inorto, Lamulier, Sumeiauto, Firteiaco, quæ modo sunt.

*Mousay, ad Mosam.*  
*Seruify, ad Mosam.*  
*Martincourt, ad Mosam.*  
*Olysy, ad Carum fl.*  
*Villy, ad eundem.*  
*Linay, ibidem.*  
*Neuant, ibidem.*  
*Brovvaine, ibidem.*  
*S. V. Valfroy, olim S. Vulflaicus.*  
*Chauancy, le Chateau.*  
*Chauancy S. Hubert.*  
*Noyrie.*

*Margur.*  
*Bieure la petite & la grande.*  
*Tone.*  
*Signy.*  
*Margny.*  
*Breux.*  
*Sapoigne.*  
*Quincy, ad Carum.*  
*Inor, ad Mosam.*  
*Lamouilly, ad Carum.*  
*Chimay.*  
*La Ferte, ad Carum.*

DAGOBERTI SANCTAM DOMVM. Verisimile est, Carolum Caluum, conditum à se templum, in quo corpus D. Dagoberti depositurus erat, sub eius nomine dedicari voluisse, atque ex eo tempore titulum D. Remigij exoleuisse. In litteris Godefridi Barbati, dicitur ecclesia sancti Dagoberti apud Sathanacum villam, pretiosis ipsius sancti martyris ossibus,

## NOTATIONES.

77

offibus, & multis alijs sanctorum pignoribus illustrata. In tabulis Godefrid  
Bullonij: Ecclesia apud Sathanacem olim villam, nunc castellum, in honore  
sancti Dagoberti martyris construēta.

Domum autem dixit noster, pro templo. Ita Gregorius Magnus libro  
IX. epistola XV. Alexander Frix, presentium portitor, colonus ecclesie no-  
stra, questus est nobis, in domo, id est, ecclesiā, quae Catanea à dilecto filio nostro  
Cypriano diacono fabricata est, triennijs se tempore laborasse, & mercedem, non  
ut dignum est, accepisse. Tabulas Fulmudis matronæ, quibus se anno  
XLIV. cum filiis Gerhardo & Hartmanno, clientelæ S. Cyriaci marty-  
ris Nuhusæ apud Vangiones dedicat, ita canonici obsignant. Huius rei  
testes sunt, Eberhardus præpositus de domo, Eppo sacrificia, Eppo decanus, V Vol-  
framus Nuhusæ præpositus. Vbi obseruo, Eberhardum præpositum, vt à  
Wolfrano Nuhusæ præposito se distingueret, scripsisse se præpositum de  
domo, id est, ædis maximæ Vangionum. Hinc Gallicum le Dome, & Ger-  
manicum der Thumb/pro basilicā.

## NOTATIONVM FINIS.

## APPENDIX.

**Q**uoniam nunc acta D. Dagoberti explanauimus, cetera, quæ ad  
eum attinent, erit operæ precium paucis addere, quibusdam ad-  
iectis, quæ de oppido Sathanensi Gerbertus Remorum, po-  
stea Rauennæ episcopus, ac tandem pontifex maximus Silvester II. in e-  
pistolis aliquæ memorant: ante tamen propositâ serie aliquâ tempo-  
rum Dagoberti.

Anno DCCXI. Childebertus Francorum rex moritur, anno regni  
XVII. succedit patri filius Dagobertus.

Anno DCCXIV. Pipinus Heristallius Suestræ grauiter ægrotans, VI.  
Non. Martias diploma pro Epternacensibus edi curat, anno IV. regni  
Dagoberti, vt est in tabulis. Inde Ioppilia decumbentem adit Grimoal-  
dus filius, prætorio præfetus; sed in itinere Leodij inter compreca-  
num necatur. Pipinus Grimoaldo ita cæso, pupillum eius filium Theo-  
doualdum in magistratum paternum sufficit, & mox Kal. Decembribus,  
vt est in annalibus Francorum & ephem eridibus Epternacensibus, vel

K 3

XVII. kal-

XVII. Kal. Januarias, ut prodit auctor annalium Metensium, decedit.

Eodem aut potius sequenti

Anno DCCXV. pugnatur in silua Cotiâ, vinciturque Theodoaldus. Raginfredus pro eo fit prætorio præfetus, qui cum Dagoberto per Carbonariam siluâ inuectus, Austrasiam ad Mosam usque valet. Fœdus cum Ratbodo facit. Per eosdem dies Carolus Martellus è custodiâ elabitur. Mense martio, aut Julio, cum Ratbodo confligit.

Hugo Heristallij ex Drogone filio nepos, diploma conficit pro cœnobio D. Arnulfi mediomatricibus, VIII. Kal. Julias, anno V. Dagoberti regis, ut scriptum in tabulis.

Post hæc Dagobertus, cum regnasset annos V. martyrium facit X. Kal. Januar. in siluâ Scoriâ, pago Vaporacensi. Sepelitur Sathanaci in æde D. Remigij.

Ab anno deinde DCCCXL. ad annum usque DCCCLXXVII. Carolus Caluus rex Francorum & deinde Romanorum imperator floret. Is D. Dagoberti corpus eleuat, & basilicam sub titulo nominis eius Sathanaci dedicat, instituto sacerdotum collegio.

Cum anno DCCCCLXXXIII. Otho II. in Italiâ deceperisset, Lotharius Galliæ rex, anno sequenti Lothariense regnum inuasit, & Viroduno expugnato, Godefridum eius urbis comitem, patruumque illius Sigifridum, comitem primum Luciliburgensem, captiuos abduxit. Animos ad hæc illi dabant Othonis III. pueritia, & Henrici Boiorum ducis, patrii eius rebellio, quam specioso tutelæ titulo velut grato colore Henricus induxerat, cum interim regnum pupilli, nepotis sui, affectaret. Sed cum anno sequenti, qui erat DCCCCLXXXIV. tutela illa dolosa dissipatur, & primores Germaniæ passim Othoni III. regnum assererent, ac proinde res eius inualescerent, Lotharius de reddendis captiuis comitibus Godefrido & Sigifrido cum Othone egit. Sigifridus primò libertati redditus est. Tandem & Godefridus, pactus, se Lothario quædam ditionis suæ loca cessurum, emittitur è custodiâ, urbsque Virodunum Othoni regi restituitur.

Interim dum hæc fiunt, Theodericus Lothariensem Mosellanorum dux, Sathanacum occupat. Contra Otho & Heribertus, comites partium Lotharij, Juueniacum in gratiam Emmæ reginæ, vxoris Lotharij, aggrediuntur. Godefridus etiam pactionis cum Lothario initæ, ut iniqua, pœnitens, Theophaniam Othonis III. matrem eâ super readit. Iungit & Adelbero Rhenorum archiepiscopus litteras, quas Gerbertus eius



etius nomine scripserat, estque epistolarum eius CIII. Atque hæc tūm ex alijs Gerberti epistolis, tūm ex Sigeberto, Baldrico & Guilielmo Nangiacō deprompsimus.

Mortuo deinde anno DCCCCXCVI. Lothario Galliæ rege VI. Non. Martias, & anno sequenti filio eius Ludouico, cum filiis huius nullā exstaret, Carolus Lothariensis Inferiorum dux, Lotharij regis frater, ad regnum Gallie depositus, contra Hugonem Capetum, qui tamē Richardi Normanni ope regnum p̄e Carolo attp̄scitur. Hinc bellum. Carolus anno DCCCCXCVIII. Laudatum, tunc regum sedē, occupat, ibique Emmam reginam suę potestatis facit. Mox Hugo obſidione circumdat urbem. Interpellatus autem à Theophaniā Augustā, de ſoluendā obſidione, culpam omnem coniicit in peruicaciam Caroli, nolentis dare obſides & Emmam dimittere. Addicit tamen Adelheidis coniungis suę operam in re componendā, ſpemque dat, eam VI. Kal. Septembris cum Theophaniā Sathanaci colloquuturam. Verum Carolus, eruptione validā factā ipſe ſe obſidione liberat, Quę omnia Gerbertus epistolā CXX, & Nangiacus ſcribunt.

His de Sathanaco traditis, adferendę nunc effent veteres aliquot Gorzienses tabulae Godefridi Barbati, & Godefridi Bullonij, Lotharingiæ ducum, & Egilberti atque Hillini Treuirensium archiepiscoporum, atque monumenta propius aliquantò res D. Dagoberti atringentia, niſi longum id eſſet, ſatisque foret, eorum apponere hic ſummās.

Anno MLXVIII. Godefridus Barbatus, Lothariensium dux, rogatu Beatrixis coniugis suę, canonicos Sathanaco, amouit, atque ab Henrico Gorziensi abbatे religiosos aſcetas impetravit, quos Sathanacum in coloniam deduceret, probante id Euerardo Treuirorum archiepiscopo. Dehinc constitutam recenter Sathanacensem cellam (*prioratum vocamus*) rebus auxit, datâ in primis Mosacensi paroecia: auctam, Gorziensi cœnobio in perpetuum attribuit. Tabulae factæ Bullonij.

Anno MLXXXVIII. orto inter Godefridum Bullonium & Theodoricum episcopum, Virodunensem grauissimo bello, Bullonius Sathanacum ad bellicos viſus communiuit, quā de re ſuprā ſcripſimus.

Anno MLXXXIX. Egilbertus Treuirorum archiepiscopus, habitā Treuiris synodo, Mosacensem paroeciam Sathanacensi cellæ ablatam, reddendam curauit. Res relata in tabulas Treuiris.

Anno MXCIII. Godefridus Bullonius, Barbati ex Idā filiā nepos, tabulas huius argumenti Bullonij ſcribi fecit, Cum ipſe Lothariensium dux

dux primūm esse cœpisset, impetum se multorum odijs atque armis. Per eas turbas, ablatam Sathanacensi cellæ Mosacensem paroeciam, sed deinde in Treuirensi synodo vindicatam. Post hæc, cum Sathanacum venisset, cœnobitas ex D. Dagoberti cellâ publicè iterum egisse repetundarum, sequi pro eis sententiam dixisse, iusso Arnulfo comite, qui Mosacensem paroeciam beneficiario titulo tenebat, reddere rapta.

Multa porrò sunt, quæ me non sinant ambigere, quin Arnulfus ille comes fuerit Chiniacensis. Et Browero nostro libens assentior opinanti, Arnulfum comitem, qui Henricum Leodiensem episcopum, sub annum MLXXIX, Romam euntem, cepit, esse eundem Chiniacensem. De capto autem Henrico, sunt Gregorij VII. pontificis maximi imperatoriae litteræ libro VII. quarum vnas ad Theodericum Virodunensem episcopum, quæ est epistola XIII. alteras ad Henricum ipsum Leodiensem episcopum dedit, quæ sequens. Sed pœnituisse deinde Arnulfum, sunt quæ suadeant. Anno quippe MXCVI. cœnobitas D. Arnulfi Mediomatricibus euocatos, æde Diuæ Walburgis Chiniacensi, pro suis excessibus, cum ampio prouento, donauit, volentibus Othono & Ludo- uico filijs, ac Adelheide nuru, ut est in eius tabulis.

Anno MXCVI. Godefridus Bullonius, eiusque frater Balduinus, Warnerum Gorziensem abbatem exorârunt, ut Sathanacensis cellæ damna ex bello Virodunensi, de quo suprà scripti, accepta, sarciret, datâ Gaudiaco villâ, quæ est suprà Diuodurum Mediomatricorum, ad Romani maximi aquæductus ruinas. Ipsi insuper res eodem bello raptas, cum Mosacensi paroeciâ, recuperârunt. Tabulæ scriptæ Sathanaci.

Anno MCVI. Paschalis II. pontifex maximus ad eundem Warnerum Gorziensem abbatem litteras bullatas dedit, quibus Sathanacum & Mosacum ei asseruit, rogante Matilde comite, maximâ illâ virtute & religione feminâ, Beatricis, Godefridi Barbatî coniugis, ex Bonifatio Thufœi marchione, priore marito, filiâ.

Ab anno MCII. ad MCXXIV. Bruno Treuirorum fuit episcopus. Quo mortuo, tale scriptum Gorzienses fecerunt. A quo Sathanaci pro canonicis locati sint Gorzienses cœnobitæ, hos paroecijs Sathanacensi & Mosacensi vicarios presbyteros curatores dedisse, eisque stipendium & vectigalia constituisse. Sed exinde supergradientibus presbyteris stipendijs vectigaliumque decretorum modum, Brunonem Treuirorum archiepiscopum, re ad se delatâ, denuò intrâ modum presbyteros factis tabulis coercuisse.

Anno



Anno MCLVII. Hillinus Treuirorum archiepiscopus, Isembaldo Gorziensi abbati firmauit Sathanacensem cellam, & quid pastor Sathanacensis, quid Mosacensis, quid cella Sathanacensis inuicem iuris habent, sanxit, atque etiam parœciam ad Balim vicum, assensu Brunonis eius regionis archidiaconi, D. Dagoberto donauit, conditis tabulis Augustæ Treuirorum.

Imposterum de rebus D. Dagoberti nihil inuenio, vsque ad Sathanacum à principe Bullonio seu Sedanensi, paulò suprà nostram memoriam, occupatum; quâ de re in notationibus differui.

Hic illud memorabile addo. Dum Sathanacum Bullonius inuaderet, hæretici Sedanenses cistam argento bracteatam, & aureis lilijs distinctam cui reliquiae DDagoberti inerant, raptam, atque in vicinam domum delatam, bracteis & liliorum emblematis exscoliârunt. Cumque sacra aliquot ossa in luculentum ignem tympanotribâ proiecisset, tantus repente fragor exstítit, ac si nitrati pulueris vis ingens in flamas addita fuisset. Hinc homo sacrilegus metu territus, in puteum, quod ossium supererat, deiecit. Has porrò sacrarum reliquiarum reliquias presbyter quidam, cellæ Sathanacensis minister, ut potuit, collectas, retulit in cistâ ligneari, quæ hodieque supersunt, velamine antiqui generis inuolutæ.

Post hæc arx Sathanacensis conditur, & templi D. Dagoberti pars posterior solo æquatur. Tum, credo, periére tot anathemata, catenæ ferreae, fulcra lignea gressui leuando, & id genus alia, quæ magno natu homines per basilicæ D. Dagoberti parietes trabibus appelsa se vidisse memorabât. Atque inter ceteros, Sathanacensis quidam ciuis, octoginta eoq; amplius natu annos, referre solet, Petru quempiam adolescentem, mutum, & virium impotem, hortatu consanguineorum atque amicorum suorum nouendialem obsecrationem ad ædem D. Dagoberti suscepisse, & rectè valuisse. Factum deinde textorem, migrasse in Germaniam, atque indè quantum ad festum D. Dagoberti diem, Sathanacum gratitudinis ergo venire, & supplicationem publicam annuam frequentare consueuisse.

Annuam quippe geminam Sathanacenses supplicationem honori D. Dagoberti instaurare solebant, alteram IV. Nonas Septembres, alteram die ascensionis Christi. Ibatur ex urbanâ parœciâ æde ad D. Dagoberti templum, quod est in arce, vbi clerus urbanus, stipante magistratu, cistâ D. Dagoberti tollebat, atque in ædem parœciâ per venerationem deferebat, peracto que solenni sacro, iterum in arcem reportabat. Sed cum populi turbam in arcem admittere haud satis tutum præfecti iudicarent,

supplicationes ex anno MDCXLV. haberi desiderare, factumque tum decretum est, ut cista imposterum in æde paroeciæ esset; quod tamē obtineri in longum non potuit, eò quod qui arcem incolunt, cistam sacram acriter repeterent. At priusquam redderetur, vir eximius Ioannes Floncelius, Pastor Sathanacensis, D. Dagoberti flagrantissimus cultor, ita omnia temperauit; ut partem reliquiarum arx ciuitati cesserit. Sunt ergo, in arce, os humeri magnum: in vrbe, os quod sacrum vulgo anatomicæ nuncupant, cum tibiâ; quæ Floncelius, liberalissimi vir animi, in cistam longè elegantissimam inclusit, eaque imposterum annuis supplicationibus vicatim per ciuitatem delata, ingentem apud Sathanacenses veneratione habet, febribus in primis medelam ferente D. Dagoberto.

Ad extremum illud quoque obiter dicendum videtur, quo pacto Sathanacensis cella Gorziensium esse desierit. Sub annum MDCV. Carolus Lotharingiæ dux, Sacerdotium illud splendidissimum Nanceanum, quod *primatum* vocant, instituit. Cumque fundando ex dignitate eo sacerdotio prouentus vnde dispicerentur cellam Sathanacensem inter alia ei rei insumere placuit. Erat tum Gorziensis abbas Carolus à Lotharingiâ; quo volente, Sathanacensis cella à Gorziensi cœnobio ad sacerdotium Nanceanum pro parte constituendum ablata est. Qui ergo nunc amplissimo isti sacerdotio præst, idem & cellæ Sathanacensis est possessor, Carolus, Nicolai Francisci, Lotharingiæ ducis filius, & ut diu feliciterque sit, Diuumque Dagobertum propitium ubique & volenter habeat, youemus.

## FINIS.

*Hac errata absentia mea imputa, lector. Cetera quoque, sed quia leniora condones, rogo.*

Pag.36, rustice more, <i>Lege rusticæ more</i>	64. Alipontiam	Alisontiam
Pag.38, nec idcirco, quod <i>Lege Nec idcir-</i>	ead. Goabani	Garbanti
<i>cò rei ciendas, quod</i>	65. Gandribrisia	Gandrilia
Pag.39, Calueniacum <i>Lege Calueniacum</i>	66. Ioudrouille	Ioudreville
46. Octo	ead. Ballien	Ballieu
48. Pontificis	67. Scinæ artel	Scinçartel
53. Lagobecki	68. eam morbo	eum morbo
56. Hagnonum	70, tragicocomediam <i>lege tragico-</i>	<i>mcediam</i>
58. nautoque	72. Labierio	Lahierio
60. in ère	73. firmibus	firmis
61, Metenses Caroli	ead, baries	barbaries
qui Caroli .		
63. aduersatum	ad Velsatum	





UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN



Acte s. Ignom  
De Cerevisijc  
De Vino  
Vitriologia

1.9.

Th  
3186